ri, ſed ſicut is non adoratur, niſi propter Chriſti præſentiam, ita non niſi ſecundum illas partes adoratur, in quibus Chriſtus continetur. Neque verò ad hoc, ut totus potus dicatur adorari, neceſſe eſt, ut exiſtimemus, quod in ſingulis illius potus particulis ſit cõſecratio, aut præſentia Chriſti, ſed ſatis eſt, quod credamus ſub illo potu ſenſibili eſſe ſanguinem Chriſti, ſicut etiam ſi in calice conſecratio eſſent aliquæ particulæ pulveris, aut gutta olei, adhuc adoraretur ille potus ſenſibilis, nec tamen propterea adorarentur partes incluſi pulveris, & ratio eſt, quia ſolùm adoratur ſignum illud ſenſibile ex eo, quod Chriſtum continet abſtrahendo ab hoc quod in ejuſmodi ſigno ſint vel nõ ſint particulæ, in quibus Chriſtus non contineatur. Ad Confir. verum quidem eſt, quod aggregatum illud ex vino, & aqua humano, & morali modo dicitur eſſe vinum ex vite, & eſſe aptum ad nutriendum; negatur tamen inde inferri poſſe totum illud aggregatum ſecundum omnes ſui partes converti in Chriſti ſanguinem; nam hoc ſecundum non pendet ex ſola morali locotione, ad quam ſatis eſt, quod fundetur in imperfecta cognitione ſenſuum, & in difficultate diſcernendi particulas aquæ admixtæ à partibus vini; ſed pendet ex veritate materiæ neceſſariæ ad converſionem ſanguinis, quæ eſt ſubſtantia ſolius vini de vite, quod per ſe eſt materia apta ad nutriendum corpus per modum potus; quare cùm particulæ aquæ id verè non habeant, antequam convertantur in ſubſtantiam vini, neq; ſeorſim à vino, neq; ſimul cum vino convertuntur in ſanguinem. Ad ultimum dico, quod licet aqua poſſit per accidens nutrire, quatenus ſcilicet convertitur in rem, quæ per ſe poteſt nutrire; non tamen id poteſt per ſe; illa enim tantùm corpora dicuntur per ſe eſſe apta ad nutriendum, ex quibus per actionem vitalem viventis virtute caloris naturalis, & temperamenti ſtomachi poteſt extrahi chylus; converſio autem illa particularis aquæ in vinum, quæ poteſt in ſtomacho, non poteſt eſſe virtute actionis vitalis, caloris naturalis, ac temperamenti ſtomachi, ſed vini permixtione, & actione naturali ipſius: quare cum materia ad conſecrationem ſanguinis ſit res apta per ſe ad nutriendum per modum potus, manifeſtè ſequitur aquam non eſſe materiam convertibilem in ſanguinem, niſi prius convertatur in vinum.

112 Quintò, Conc. non ſolum dicunt materiam eſſe vinum, ſed dicunt vinum de vite, ſive de uvis expreſſum; at ſi aqua convertatur in vinum, adhuc non eſt vinum de vite, & de uvis expreſſum, ſed alio modo genitum, & tamen propter conjunctioné cum toto vino de vite, venit etiam ſub illo nomine, & recipit cõſecrationé: ergo ſimiliter ipſa aqua, licèt non eſſet in vinum converſa, adhuc converteretur in ſanguinem. Confir. quia etiamſi aliqua materia extranea miſceatur pani, quia tamen illa componit unum cibum uſualem cum pane, convertitur in corpus Chriſti: ergo pari ratione, quia aqua componit unum potum uſualem cũ vino, convertitur in ſanguinem ejuſdem. Tandem ſi gutta aquæ infunderetur in calice conſecrato, illa immediatè converteretur in ſanguinem Chriſti: ergo ſignum eſt aquam poſſe immediatè in ſanguinem converti, etiamſi non fuerit prius in vinum converſa.

133 Reſp. aquam in vinum de vite converſam, eſſe verè vinum de vite, ſicut aer converſus in ignem eſt verè ignis, cùm vinum ex aqua productum, media nativa virtute vini ex vite geniti, habeat veram naturam vini, ideòq; eſſe aptam materiam calicis, alioqui vinum miraculosè productum, cujuſmodi fuit vinum ex aqua genitum in Cana Galileæ, non fuiſſet apta materia calicis; Unde illa pars aquæ in vinum converſa non dicitur vinum eo præcisè; quia totum illud poculum componit, ſed quia deſtructa ejus ſubſtantia tranſit verè in vinum, unde ſi etiam illa vini portio converſa ſepararetur ab alio vino, erit utique per ſe apta materia calicis; aqua autem in vinum non converſa non poteſt dici verè vinum, quamvis ſit pars componens illud poculum in calice, & ideò diverſa eſt ratio de aqua in vinum converſa, ac de ipſa in vinum non converſa; Dùm autem Concilia docent materiam calicis eſſe vinum de vite, nolunt excludere aliud vinum, quod habeat veram naturam vini, ſed ſolum excludere volunt omnem alium liquorem, qui veram naturam potabilis vini non habeat; unde illas pars aquæ in vinum converſa, licet non ſit vinum ex vite productum, quia tamen converſa eſt in vinum de vite, abſolutè dicitur vinum de vite. Ad Confir. negatur aſſumptum, cùm ſit eadem ratio de materia panis, & calicis, ut dictum eſt ſuprà in quinta ratione pro noſtra opinione n.99. unde ex ibi dictis argumentum retorqueri poteſt, quod ſicut aqua, vel alia ſubſtantia mixta pani non convertitur in corpus Chriſti, niſi prius fuerit in panem converſa ita nec aqua convertitur in ſanguinem, niſi prius fuerit in vinum converſa; Ad ultimum negatur quoque aſſumptum, quia licet illa aquæ gutta poſſet ab accidentibus in vinum converti, nullatenus tamen in ſanguinem Chriſti converteretur, nec mediate, nec immediatè, eo quod non erat præſens, quando verba conſecrationis prolata fuerunt.

114 Sextò tandem arguunt ratione ex Philoſophia deducta, quia aqua non poteſt converti in vinum ſiquidem experiẽtia conſtat aquam immiſſam extrahi à vino quibuſdam inſtrumentis; Nec dicas extrahi quemdam humorem vini ſimilem aquę, quia talis humor à vino non extrahitur eiſdem inſtrumentis, ſi aqua non ſit immiſſa in vinum. Deinde quia vinum vires ſuas amittit, etiamſi pauciſſima aqua miſceatur, & ſi diù quis durat immittere paulatim guttam aquæ, tandem deprehenditur non eſſe vinum, quod non eſſet ita, ſi aqua in vinum converteretur, ut patet à ſimili de igne. Demum, quia neque vim habet convertendi totam aquam in ſe, quin ſaltem craſſæ aliquæ particulæ maneant in vinum non converſæ, ut conſtat tum de viventibus, quæ quamvis habeant vim convertendi alimentum in ſe, nunquam tamen illud totum in ſe convertunt, quin ſemper remaneant aliquæ partes excrementitiæ, tùm etiam de ipſo igne, qui quamvis ſit omnium elementorum activiſſimus, nunquam tamen totam materiam combuſtibilem in ſe abſumit, ut patet de cineribus, & fuliginibus, quæ poſt combuſtionem remanent.

Reſp. negando aſſumptum, etenim cùm vinum natura ſua ſit valdè activum, non eſt, cur illi hæc virtus negetur aggenerandi ſibi ſimile, quæ aliis mixtis conceditur; ut ex inſtituto oſtendimus in *lib. de Gener. & Corrup. d.7. de mixtione q.5.* ubi ad illam experientiam diximus, poſſe quidem aquam vino immiſſam extrahi ſecundum ſubſtãtiam ſuam, ſi extractio fiat ſtatim ab initio mixtionis, tam enim brevi ſpatio non potuit fieri cõverſio aquę in vinum; at poſt tempus ad converſionem ſufficiens, non amplius extrahi poteſt aqua in ſua ſubſtantia, ſed ſolùm extrahitur humor quidã aqueus, ſpecie ab aqua elemẽtari diſtinctus, qui vino eſt cõnaturalis, & illud ſubſtantialiter integrans, ſicut etiã in aliis mixtis, & viventibus varii humores reperiuntur elementis ſimiles, ac proindè humor ille aquẽs non tantũ à vino diluto extrahi poteſt ſed etiam à vino puro; quare cùm humor ille eodẽ modo eruatur à vino puro, & modicè limphato, non poteſt concludi aquam in hoc ſecundo non eſſe in vinum converſam. Ad Confirmationem admiſſo antecedente negatur conſequentia, quia ut notat Doctor *diſt.18.q.un.lit.B.* cùm omnes agens phyſicum in agendo debilitetur, quia à contrario repatitur, quanto magis agit convertendo, ſemper debilitatur, atque tandẽ deficit, ut patet de calore naturali animalis, quantò enim magis cibum in ſubſtãtiam aliti convertit, tanto plus etiam virtus eius debilitatur, & tãdem deficit; & affert ibi Doctor exemplum ex Ariſt. 1. de gener. 42. de qua mixta vino, nam vinum primò convertit aquam in ſe, toties autem poteſt apponi aqua quod deficiet virtus vini in convertendo, unde ſecunda vice minus fortiter operatur, quàm in prima; ita quod ratio, cur vinum ob continuam mixtionem aquæ debilitatur eſt, quia continuo agendo repatitur à contrariis qualitatibusa aquæ, quæ paulatim vini qualitates refrangunt; tùm etiam quia, ut alii dicunt, vinum agendo ſubtiliores, activioreſque ſpiritus amittit, quibus amiſſis nequit ſe in priſtinum ſtatum reducere, ut ſe reducunt alia quædam agentia naturalia, quę agendo vim activam non amittunt, ut eſt de igne.

115 Ad ultimum *diſ.7.cit. de Mixtione q.5.n.58.* gratis conceſſimus aquam vino mixtam regulariter non converti in vinum ita perfectè, quin aliquę eius particulæ impuriores, & craſſiores remaneant, eo tamen minores, quo vinum eſt activius; cum quo tamen adhuc ſtat, quod convertatur in vinum, ſecundum partes puriores, & ſubtiliores; Alii tamen dicunt, ut Amicus *diſp.16.cit.ſect.5. in fine*, falſum eſſe, non omnes partes aquæ poſſe in vinum converti, nec eſſe eandem rationem de aliis corporibus, quæ non ſecundum omnes ſui partes cõvertuntur in ſubſtantiam agentis; nã alia corpora conſtant ex multis partibus craſſis, & hæterogeneis, quæ difficilè convertuntur in alterius corporis ſubſtantiam; aqua verò cum conſtet ex partibus tenuibus, & homogeneis, eſt facile convertibilis in ſubſtantiam alterius corporis. Horum verò dictorũ utrũque ſalvari poteſt ex doctrina Scoti proximè allata, ut dicamus prima vice, quando vino infunditur aqua, in modica quantitate, totam in vinum converti, & ſecundum omnes ſui partes, tam puriores, quàm impuriores, ob maximam vini activitatem non adhuc debilitatam; ſecũda verò, & tertia vice, quia virtus vini debilitatur, non converti ſecũdum omnes, ſed quoad impuriores remanere; ita enim inquit Ariſt. *c.1. de gen.* 42. quod dùm aqua vino infunditur, talis mixtio in principio facit vinum, in fine verò aquaticum: alias rationes naturales, quæ fieri ſolent contrà poſſibilitatem converſionis aquæ in vinum, vide ſolutas *loc. cit.*

QUÆSTIO QUINTA.

De neceſſitate conſecrationis ſub utraque ſpecie, & conditionibus neceſſariis ex parte materiæ conſecrandæ.

116 QUæſtio duas habet partes, in prima quæritur, qualis, & quanta ſit neceſſitas non conſecrandis unam partem materiæ ſine alia, an ſcilicèt, hoc ſit de neceſſitate ſacramenti, ut quidam dixerunt, quorum opinionem refert Innocentius III. *lib.4. de officio Miſſæ cap.23.* qui putabant ambas ſpecies ita neceſſariò ad hoc ſacramentum requiri, ut ſi una aſque altera conſecraretur, irritum omninò, ac invalidum eſſet ſacramentum: an potiùs id ſit tantùm de neceſſitate præcepti, & rurſus an Eccleſiaſtici tantùm, ut opinati ſunt Adrianus, Maior, Alenſis, Navarrus, & alii apud Suarez *diſp.43.ſect.2.* an potius etiam divini, ut fert communis opinio. In alia verò parte quæſt. quæritur, an materia conſecrationis debeat eſſe præſens, & determinata ex intentione Miniſtri: & an exigat aliquem terminum magnitudinis, & parvitatis, nùm potius conſecrari poſſit in quantitate quantumcumque magna, ac etiam quantumque minima, quod breviter duobus ſequentibus articulis expediemus cùm potius ad moralem Theologiam ſpectet, quàm ſcholaſticam; non loquimur autem ne determinatione materiæ, ut conſecratio ſit licita, quia in hoc ſervanda eſt conſuetudo Eccleſiæ, ſed ſolum adhoc, ut conſecrato ſit valida.

ARTICULUS PRIMUS.

Reſolutio quæſtionis quoad primam partem.

117 PRimò dicendum eſt, non eſſe de neceſſitate ſacramenti Euchariſtiæ, utriuſque ſpeciei conſecrationem, ſcilicèt, panis, & vini, itaut ſi in una tantùm ſpecie fieret conſecratio, validum eſſet ſacramentum. Concluſio eſt communis, quam etiam Scot. docet 4. *diſt.8.q.3. §. Reſpondeo*, ubi in fine inquit in hoc ſacramento plures concurrere conſecrationes, non quidem totales, ſed partiales, itaut ſit una forma tantùm conſecrationis unitate integritatis, non verò indiviſibilitatis, quia continet in ſe plures formas partiales, diſtinctio autem (inquit Doctor) formarum illarum partialium patet, quia una eſt efficax ſine alia, quod manifeſtum eſt, alioquin enim fideles corpus adorantes antè conſecrationem ſanguinis eſſent idolatræ, quod falſum eſt; quæ fuit ratio D. Bernardi *epiſt. 69.* ubi hoc idem probat, quia communiter una pars materiæ, ſcilicèt, panis conſecratur antè vinum; & ſtatim à populo adoratur, tanquam ſacramentum Euchariſtię, antequam conſecretur vinum.

118 Confirmatur, quia hoc ſignificant ipſa verba conſecrationis, *Hoc eſt &c.* cùm enim veriſſima ſint, antequam vinum conſecretur, neceſſariò ſub accidentibus panis conſtituunt Chriſti corpus, antequam ſub accidentibus vini ſit ſanguis. Quod etiam idẽ eſſet, ſi prius conſecraretur vinum, quàm panis, quia una conſecratio non pendet eſſentialiter ab alia, cùm effectus unius formę non ſit per ſe, & neceſſariò connexus cum effectu alterius, unde corpus ex ſe poteſt eſſe ſeparatum à ſanguine, & è contrà, ut fuit in triduo mortis Chriſti. Tùm quia hoc proprium debitæ formę, ut ſit proferatur ſuper debitam materiam à Miniſtro cum ſufficienti intentione, infallibiliter faciat, quod ſignificat. Tùm denique quia ſpecies vini conſecratæ conſervari poſſunt in facto eſſe etiam ſpeciebus panis non manentibus, ac proindè poteſt eſſe ſacramentum ſanguinis ſine ſacramento corporis; ergo etiam in fieri ſpecies vini poſſunt fieri ſacramentum independenter à conſecratione ſpecierum panis.

Sed obiicies primo, ſub una tantùm ſpecie non eſt integrũ cõvivium, quia ſub una habet rationem cibi tantùm, ſub alia potus; ergo neque ſacramentum, atque ideò nequit ita confici; patet cõſequentia ex dictis, quia hoc ſacramentum eſt inſtitutum per modum convivii, & refectionis ſpiritualis. Confirm. quia confectio ſub utraque ſpecie eſt de eſſentia Miſſæ, quatenus ſacrificium; Ergo Euchar. nequit validè cõfici ſub una tãtùm ſpecie; cõſequẽtia probatur, quia confectio hujus ſacramenti non eſt quid diverſum à ratione ſacrificii legis Evangelicæ. Tandem utraque ſpecies panis, & vini ſpectat ad eſſentiã Euchar. cum quælibet ſit pars eſſentialis eius; ergo nequit confici ſub una tantùm; conſequentia patet, quia nulla res effici poteſt ſine rationibus ſibi eſſentialibus.

Reſp. quod licèt ſub una ſpecie non ſit integrum convivium quoad modũ ſignificandi, benè tamen quoad rem ſignificatam, & quoad ſubſtantiam convivii; undè ut Euchariſtia poſſit validè cõfici ſub una tantùm ſpecie, ſufficit, ut unaquęque ſejunctim ſit integrum convivium quoad ſubſtantiam, & rem ſignificatam, licèt non quoad modum ſignificandi. Ad Confirm. quicquid ſit de antecedente, de quo loco, negatur cõſequentia, quia ſicut in Euchar. alia eſt ratio ſacramenti, alia ratio ſacrificii; ſic etiam confectio Euchar. in ratione ſacramenti non convertitur adæquatè cum ratione ſacrificii, ideoque poteſt confici ſub una tantum ſpecie, ut ſacramentum, licèt non ut ſpectat ad rationem ſacrificii. Ad ult. negatur aſſumptum, quia ut conſtat ex dictis *q.2.* de unitate hujus ſacramenti panis, & vinum ſunt partes integrales Euchar. non verò eſſentiales; quod ſi diximus ibi eſſe partes hujus ſacramenti integrales, non ſola integritate perfectionali, ſicut pes, & manus integrant hominem, ſed etiam eſſentiali; jam declarabimus ibidem n. 38. & 39. id debere intelligi quantum ſpectat ad modum ſignificandi, non autem quoad rem ſignificatam; unde ſolum ſequitur non poſſe confici ſub una tantum ſpecie integrum ſacramentum quoad modum ſignificandi, quod gratis concedimus, benè tamen quoad ſubſtantiam, & rem ſignificatam, quo tantùm ſenſu hic aſſerimus validè, & integrè hoc ſacramentum ſub una tantùm ſpeciei confici poſſe; Ex quo deducitur non eſſe parem rationé de partibus eſſentialibus alicuius ſacramẽti, ac de ſpeciebus panis, & vini in Euchariſtia, quæ ſunt tantum partes integrales.

119 Dices, in ſacramento extremæ unctionis ſunt etiam diverſæ formæ partiales, ſicut in Euchariſtia, & nihilominus nulla earum ſeorſim habet effectum, quouſque ponatur ultima, tuncque omnes, ſimultate morali cauſant: ergo pariter in Euchariſtia forma conſecrationis panis non cauſat, quouſque ponatur forma conſecrationis vini.

Reſp. hoc argumento nimium probari, ideoque ab omnibus ſolvendum eſſe; probat enim hoſtiam non eſſe conſecratam antè calicis conſecrationem, ſicut pariter non habetur effectus in extrema unctione, niſi prolata ultima forma; unde male Eccleſia hoſtiam offerret adorandam antè calicis conſecrationem; Vel ergo cum Suarez *loc. cit. ſect.2.* neganda eſt paritas de Sacram. extremæ Unctionis, & Euchariſtia, quia cùm formæ extremæ Unctionis ſint deprecativæ, & non indicativæ, ideò ex vi ſuæ ſignificationis, & veritatis non poſtulant, ut ſtatim, & ſabitò conficiant validum ſacramentum, ſed ſolùm ut illud efficiant pro eo tempore, quo fuerit completum in ultima unctione; atq; ita cũ una forma partiali, & una unctione partiali non conficitur verum ſacramentum Unctionis; at in caſu noſtro de Euchariſtia quælibet forma producit effectum ex vi ſacramenti diverſum, & ſuum proprium & cùm ſit forma, non deprecativa tantùm, ut in extrema Unctione, ſed indicativa pro tunc prolationis, ut contineat veritatem, nequit una in cauſando pendere ab alia. Vel cum Scoto 4. *diſt.23. ad 2.* concedenda eſt paritas, cùm enim extremæ Unctionis ſacramentum ex Doctore ibidem non ſit unum unitate indiviſibilitatis, ſed integritatis, ſiquidem integratur ex pluribus partialibus materiis, & formis, quibus propria, & peculiaria ſignificata correſpondent, ut ex ipſis formarum verbis colligitur, unaquęq; forma, quando profertur, ſuum habet ſignificatum, nec neceſſe eſt, ut aliarum formarum poſitionem expectet.

120 Secundò dicendum eſt: conſecrare utramque materiam Euchariſtiæ eſſe tantum de neceſſitate pręcepti, non ſolùm Eccleſiaſtici, ſed etiam divini. Hæc etiam eſt communis contrà Auctores citatos ab initio quæſtionis, quam docet Scotus 4. *diſt 8.q.3.* ubi ſub lit. D. ponit caſum, quod miniſter parãs calicem Sacerdoti ex aliqua negligentia pro vino ponit aquam, & Sacerdos non advertens, & ſupponens miniſtrum ritè omnia feciſſe, procedit uſq; ad perceptionem, & percipiens liquorem de calice advertit eſſe aquã & reſpondet, quod in tali caſu tenetur conſecrare ſanguinem de novo, & conſecratum percipere, quod probat, quia quando ſunt duo pręcepta ordinata, præceptũ Superioribus magis ligat, nunc autẽ præceptum Chriſti, & Eccleſiæ eſt, quod Sacram. quando cõficitur, conficiatur integrum, & inquit de iſta integritate ſervanda eſſe diſtrictam Eccleſiæ obligationem de conſecratione *diſt. 2. c. Comperimus*, & diviſionem prohiberi à Chriſto ex prima inſtitutione hujus ſacramenti: quarè aſſertum hoc quoad utramq; partem eſt Doct. *loc. cit.* & quoad primam partem patet ex *cit. cap. Comperimus*, ubi dicitur non poſſe à Sacerdote abſq; grandi ſacrilegio dividi myſteriũ, & non ſumi utramq; partem hujus ſacram. Quod alteram partem quoq; probatur, nam quod ex Chriſti inſtitutione pendet, de jure divino cenſeri debet, ſed utramq; ſpeciem ad hoc ſacramentum requiri ex Chriſti pendet inſtitutione ut inquit Doct. ergo præceptum hoc non tantùm ab Eccleſia pẽdet, ſed etiam à Chriſto, & conſequenter eſt de jure divino; Minor probatur ex Conc. Trid. *ſeſſ.22. c.1.* ubi ait Chriſtum hoc ſacramentum inſtituiſſe in pane, & vino, & Apoſtolis, ipſorumq; in Sacerdotio ſucceſſoribus præcepiſſe, ut hoc ſacrificium ſub earundem rerum accidentibus offerent, quod ſine dubio Concilium non diceret, ſi Chriſtus liberum reliquiſſet Apoſtolis conſecrare in una tantùm parte materiæ; & *ſeſſ.21. c.1.* ait Laicos, & Clericos non conficientes hoc ſacramentum nullo Chriſti præcepto obligari ad ſumendum hoc ſacramentum ſub utraq; ſpecie, quibus verbis ſatis apertè indicat Sacerdotes hoc ſacramentum conficientes teneri ex præcepto Chriſti illud ſumere ſub utraque ſpecie. Tandem probatur, quia ut ex Concilio colligitur in eiſdẽ locis, hoc ſacramentum ita à Chriſto inſtitutum eſt, ut noluerit fieri ſine ſacrificio corporis, & ſanguinis ſui; ſed ſacrificium corporis, & ſanguis, quod Chriſtus inſtituit, non poteſt eſſe ſine conſecratione panis, & vini: ergo neq; hoc ſacramentum poteſt confici abſq; conſecratione panis, & vini.

121 Sed objicies, quod licèt ſacramentum Euchariſtiæ in quavis parte materiæ ſit integrum quoad ſubſtantiam ſacramenti, & rem ſignificatam, licet non quoad modum ſignificandi; ex alia tamen parte ipſe Chriſtus Lucæ 24. videtur conſecraſſe panem ſine vino, dum dicitur agnitum fuiſſe à diſcipulis euntibus in Caſtellum Emaus, in fractione panis, ut exponit Auguſt. *lib. 3. de conſenſu Evang. c.25.*

Reſp. verum quidem eſſe, in quavis parte materiæ confici totum, & integrum ſacramentum modo jam explicato, non tamen ſacrificium; à Chriſto autem præceptum eſt, ut hoc ſacramentum non conficiatur abſque ſacrificio, & ex hoc præcepto oritur neceſſitas non conficiendi hoc ſacramentum, niſi in utraque parte materiæ. Ad illud verò, quod adducitur ex Lucæ cap. 24. dicen-

dicendum eſt, quod ſi Chriſtus corpus conſecravit, vel conſecravit etiam calicem, licet taceatur, vel id fecit per poteſtatem excellentiæ, & tanquam auctor legis, quæ duo in aliis Sacerdotibus non reperiuntur. Alii tamen Patres, & forte probabilius, dicunt panem illum, quem Chriſtus dedit illius duobus diſcipulis, non fuiſſe conſecratum, ut notarunt Carthuſianus, Janſenius, & Euſebius in eum locum, & alii; ratio eſt, quia nec ibi fit mentio conſecrationis, aut eſt ullum ſignum ipſius; nec videtur veriſimile, quod Chriſtus voluerit dare ſuum corpus diſcipulis non ſatis firmis in fide, imò de ipſius reſurrectione dubitantibus, & ad receptionem tanti ſacramenti non diſpoſitis.

122 Tertiò dicendum eſt, neque Pontificem diſpenſare poſſe, ut in una ſola ſpecie conſecretur. Hæc eſt contrà nonnullos oppoſitum ſentientes apud Suarez *diſp.43. cit.ſect.4.* eſt tamen communis in Scholis, & ſequitur ex præcedenti, quia in his, quæ ſunt juris divini, nequit Eccleſia diſpenſare, quandoquidem inferior in lege Superioris diſpenſare non poteſt, ut ajebat Scotus *loc. cit.* & ſtatutum fuit ab Urbano II. *qu. 1. c. Sunt quidam*, & Zoſimo *c. Contrà ſtatuta*, cùm ergo conficere ſub utraque ſpecie ſit juris divini, ut conſtat ex modò dictis, ſequitur Pontificem in hoc diſpenſare non poſſe.

Confir. quia non minus eſt de jure divino integritas hujus ſacramenti, quàm illius materia; ſicut ergo nequit Pontifex ſuprà materiam ſacramentorũ diſpenſare, ut quod deficiente vino alius liquor ſufficiat, & deficiente pane triticeo ſatis ſit hordeaceus: ita neque diſpenſare poteſt, ut deficiente vino in ſolo pane fiat cõſecratio, vel è contrà; Et quidem Conc. Trid. *ſeſſ.21.c.2.* apertè declarat poteſtatem, quam Eccleſia habet circà ſacramenta, eſſe ſolùm mutandi illa, quæ ad diſpenſationem ſacramentorum pertinent; ſalva ipſorum ſubſtantia, conſecratio autem ſacramenti Euchariſtiæ non pertinet ad diſpenſationem ipſius, ſed ad modum conſtituẽdi ipsũ, & licèt conſecrare in una tantùm parte materię, non ſit ſimpliciter contrà ſubſtantiam ſacramenti Euchariſtiæ, ut ſacramentum eſt, & ſecundum rationem ſpecificam, eſt tamen contrà ipſius ſubſtantiã, ut eſt ſacrificium, ac etiam contrà rationem illam individualem, quę expreſſiorem ſignificationem habet in utraque ſpecie, quæ in unã ſola non reperitur. Tandem ſi poſſet Pontifex circà ſacramentum Euchariſtiæ diſpenſare in his, quæ Chriſtus inſtituit circà illud, nulla poſſet aſſignari ratio, cur pariter diſpenſare non poſſit in ſigillo Confeſſionis, matrimonio conſummato, materia Baptiſmi, aliorumque ſacramentorum.

123 Sed inſtant nonnulli, Primò ex eo, quod docet Trid. *ſeſſ. 21. c.2.* ubi ait in Eccleſia eſſe poteſtatem, ut in ſacramentorum diſpenſatione, ſalva ipſorum ſubſtantia, ſtatuat, aut mutet, quæ ſuſcipiẽtium utilitati pro locorum varietate magis expedire judicaverit: ergo cùm conſecratio in una tantùm parte materiæ non deſtruat ſubſtantiam hujus ſacramenti, ſed ſolùm videatur pertinere ad ejuſdem ſacramenti diſpenſationem, debemus dicere in Eccleſia eſſe poteſtatem diſpenſandi in hoc præcepto, ut conſecratio fiat ſub utraque ſpecie.

Confir. quia quamvis concedatur hoc pręceptum eſſe juris divini, non ob id negandum eſt, poſſe Papam in illo diſpenſare, cùm ſæpè de facto in jure divino diſpenſet, ut in voto, juramento, & aliis, quorum obligatio eſt de jure divino; Demum, quia de facto Papa diſpenſavit, ut ſub una tantùm ſpecie conficeretur; Volateranus enim *lib.7.Geographiæ c.4.* refert ab Innocentio VIII. diſpenſatum fuiſſe cum Norvegiis, ut poſſent in ſola ſpecie panis conſecrare, eo quod non reperitur vinum in illa Provincia, nec aliundè allatum poteſt conſervari ob ſummum frigus, ſed brevi tempore tranſit in acetum.

124 Reſp. negando conſecrationem Sacram Euchariſtię pertinere tantùm ad diſpenſationem ipſius, cùm potiùs ſpectet ad modũ conſtituendi ipſum, ut dictum eſt in probatione concluſionis.

Ad Confir. Pontifex diſpenſando in voto non diſpenſat propriè in jure divino, tollendo obligationem illius, ſed potiùs in materia, circa quam eſt tale jus, illam auferendo, vel mutando; hæc autem materia non eſt à Deo inſtituta, ſed ab homine; quarè licèt obligatio implẽdi votũ durante ipſo voto ſit de jure divino & in hoc eſſe non poſſit diſpenſatio, niſi à Deo; ipſum tamen eſſe voti pendet, ut à propria cauſa, à voluntate hominis, qui voluit Deo ſe obligare, & in hoc diſpenſat Pontifex, quando diſpenſat; vel auferendo, vel mutando votum, idque facit, ut interpres, & Vicarius acceptationis voti, quod ab homine fit Deo; ex ipſa autem rei natura oritur, ut vovens, aut promittens aliquid, liberetur ab ipſa promiſſione, ſi vel ille, cui fit promiſſio, vel qui ab eo habet auctoritatem, aut remittat promiſſionem, aut conſentiat, ut commutetur in aliquid aliud; Unde hoc non eſt propriè diſpenſari à Pontifice in jure divino, ſeù naturali, ſed potius mutari quodammodo materiam, juxtà formam ejus legitimę poteſtatis; Sed quicquid ſit de hoc, quod ſpectat ad materiam de legibus, negandũ eſt abſolutè parem eſſe rationẽ de diſpenſatione voti, juramenti, matrimonii rati, & ſimilium, & de ritu ſacramentorum ſubſtantiali, ac eorum inſtitutione, quia illa non ſunt de jure divino abſoluto, ſicut iſta, ſed fundato in actionibus humanis; non poteſt autem Papa diſpenſare in his, quæ ſunt de jure divino abſoluto, ſed tantùm in actionibus humanis fundato, modo jam explicato, ſcilicèt per mutationem materiæ. Ad ultimum, communiter dicunt, hiſtoriæ illi fidem non eſſe adhibendam; ratio enim, quàm affert eſt falſa, quod, ſcilicèt in ea regione vinum ob nimirum frigus aceſcat, quod experientia conſtat eſſe falſum, ſiquidem nunc de facto ibi in utraque ſpecie conſecratur; tùm quia Volaterranus non dicit fuiſſe permiſſum, ut in ſolo pane ſivè vino conſecrarent, ſed ut calicem conſecrarent ſine vino, quod eſt pęnitus incredibile, quia Papa in ſacramentorum materia diſpenſare non poteſt. Solet etiam obiici, quod Eccleſia de facto diſpenſat, ut feria ſexta Paraſceves ſacramentũ hoc offeratur ſub ſola ſpecie panis abſque conſecratione calicis. Sed falſum aſſumitur, quia in illa die non fit propriè ſacrificium, cùm nulli fiat conſecratio, ſed ſola ſumptio ſacramenti ſub ſpecie panis pridiè illus diei conſecrati.

125 Quartò tandem ex dictis deducitur quęſiti illius reſolutio an præceptum conſecrandi ſub utraque ſpecie ſit affirmativũ, vel negativum; nam ſub diverſa ratione utrumque dici poteſt; nempè quod ſit affirmativũ, quia ex hoc pręcepto Sacerdotes omnes tenentur aliquando ſacrificare, quod ſine conſecratione utriuſque partis materiæ fieri non poteſt; ſed quotieſcumque præceptũ adimpleri non poteſt abſque aliquo certo actu poſitivo, illud indubitanter eſt affirmativum, quatenus reſpicit talem actum; ergo &c. Quod verò etiam poſſit dici negativum, patet, quia ratione ipſius eſt obligatio non inchoandi conſecrationem ex una parte materiæ abſque voluntate, & facultate conſecrandi alteram partem ad hoc, ut fiat ſacrificium; ergo in hoc ſenſu eſt negativum: Ex quo ſequitur, quod in nullo caſu poteſt eſſe licitum Sacerdoti conſecrare unam partem materiæ, ſi antè conſecrationem advertat non eſſe facultatem conſecrandi alteram partem; Dixi, ſi antè conſecrationem id advertat, quia ſi Sacerdos conſecrato pane cognoſceret in vino ſibi dato ad conſecrandum eſſe venenum, & non poſſe habere aliud, quod conſecraret; non teneretur vinum illud venenatum conſecrare, & in tali caſu impotentia habendi aliud vinum eſſet ratio ſufficiens ad ipſum excuſandum. Itaque hoc præceptum poteſt dici virtualiter negativum, quod obliget ſemper, & ad ſemper, eſt enim de non aliter conficiendo, ſicut etiam in cæteris ſacramentis, etſi videantur præcepta affirmativa de taliter conficiendo, virtualiter tamen ſunt negativa, quæ ſemper obligant pro omni tempore, alioquin ſi prædictum præceptum de conficiendo ſub utraque ſpecie ſacramento eſſet purè affirmativum, non obligaret pro ſemper.

ARTICULUS SECUNDUS.

Reſolutio quæſtionis quoad alteram partem.

126 PRimò conveniunt omnes, materiam conſecrandam miniſtro conſecranti debere eſſe ſufficienter præſentem, ad hoc ut conſecratio ſit valida. Ratio eſt, quia particulæ illæ demonſtrativæ *Hoc*, & *Hic*, quæ adhibentur in conſecratione panis, & vini, ſi per ſe ſumantur, & juxtà propriam ſignificationem, & acceptionem denotant localem præſentiam rei, quę per tales particulas oſtenditur; quæ enim à longè videmus, non ſignamus pronomine *Hoc*, ſed *illud*, undè talis præſentia non eſt ad ſacramentũ ſufficiens; duo enim materia conſecranda requirit, & notitiam aliquam ſenſus, ut certum reddat conſecrantem de qualitate materiæ; & debitam loci propinquitatem, cùm debeat à miniſtro conſecrari, quod fieri nequit, niſi ſit ipſi moraliter præſens; undè non ſumitur hic præſentia pro ſola exiſtentia rei in loco, ſed pro relatione eiuſdem ad cognitionem proferentis, itaut illa materia dicatur miniſtro præſens, quæ aliqua cognitione ab ipſo percipitur: neque ſufficit ſola cognitio intellectualis, vel imaginaria, ſed requiritur, ut percipiatur aliqua notitia ſenſus, quia hoc ſacramentum in materia ſenſibili perficitur per pronomen demonſtrativũ *Hoc*, quod ex natura ſua requirit materiam alicui ſenſui præſentem; Videtur quoque requiri conveniens præſentia, ſeù propinquitas totius materiæ ſecũdum omnes ſui partes, itaut ſi eſſet materia tam ampla, quæ incipiens coram Sacerdote protenderetur etiam per continuationem in nimiam diſtantiam non poſſet tota ſecundum partes quoque nimium diſtantes ſimul conſecrari, quia certè exiſtens quis in littore maris nõ diceretur habere ſibi pręsẽs totũ mare, & ideò cõſecratio non poſſet extendi ultrà illũ terminũ, intrà quẽ materia ſit ſufficientes, & moraliter præſens, ut Suar. advertit *diſp.43.ſect.5.in fine* Averſa *q.2.ſect.2. in fine*, & alii.

127 Non eſt autem neceſſe, ut materia percipiatur in ſe, ſed ſufficit. ut percipiatur in ſuo continente, ut panis in pyxide, vinum in calice etiam coopertum; unde quod materia præſens, ſive panis ſive vini ſit operta, vel non operta, nihil refert, nam demonſtratio per tales particulas *Hoc*, & *Hic* juxtà communem uſum etiam proprium refertur ad res præſentes non ſolùm diſcoopertas, ſed etiam opertas; & operimentũ quoties ſe habet per modum proximi continentis, ſeù cooperientis materiam conſecrandam, nõ tollit ſufficientem præſentiam; ſecus autẽ eſſet, ſi corpus, quo mate-

ria cælatur, non haberet talẽ habitudinem ad materiam, ut ſi inter materiam, & conſecrãtem intercederet paries, aut quid ſimile, tũc enim conſecratio non teneret, ut docent omnes auctores, quia nõ eſt præſentia requiſita; Utrum autem ſicut ſi materia ſit omnino à tergo conſecrantis, conſecratio non tenet, ut communiter docent Scholaſtici & Summiſtæ, quibus multum favet Eccleſiæ conſuetudo; ità ſi materia ſit quidem à tergo, demonſtretur tamẽ manu, vel digito, dùm profertur particula demõſtrativa *Hoc*, vel *Hic*, conſecratio ſit valida nec ne, res eſt valdè dubia; ex una enim parte videtur, quod per illud ſignũ manus, vel digiti materia fiat ſufficiẽter pręsẽs, & ſatis propriè denotetur pronomine *Hoc*, vel *Hic*, & fiat aliquo modo coram conſecrante, quatenus conſecrans ſe ad illam ex parte convertit, & conſequenter videtur, quod ſi conſecretur, valida ſit cõſecratio; Ex altera verò parte, cùm deſignatio illa materiæ præſentis non videatur fieri ex vi illius particulæ demonſtrantivæ, ſed etiam ratione alterius ſigni conjuncti, videtur poſſe eſſe aliqua ratio dubitandi, quod cõſecratio ſit valida. Mihi tamẽ videtur, talem cõſecrationem futurã validam, quia videtur eſſe præſentia ſufficiẽs, & deſignatio vere, & formaliter fit à particula demonſtrativa, à digito verò, & manu, ſolùm ut à conditione ſine qua nõ; Adhuc tamen verum eſt, quod qui ità conſecraret, graviſſimè peccaret, tùm quia ſe exponeret periculo non conſecrandi: ſed de hoc plura vide apud Gavatium noſtrum *d.7.q.4.*

128 Secundo conveniunt pariter omnes ad validitatem conſecrationis opus eſſe, ut materia conſecranda ex intentione conſecrantis certa ſit, ac determinata, ac conſequenter illam ſolam materiam validè à Sacerdote conſecrari, quam determinatè cõſecrare intendit. Ratio eſt, quia intentio miniſtri adeò neceſſario ad fieri cujuſque ſacramenti requiritur ex Concil. Fl. & Trid. ut ſi illa deſit, nullo modo ſacramentum conficiatur; Tùm quia actiones ſunt ſingularium, & circà ſingularia ex 1. Met. ergo ſi Sacerdos determinatam intentionem non haberet circa materiam aliquam ſingularem, ac determinatam, nihil efficeret: unde non ſufficit, quod materia conſecranda ſit Sacerdoti localiter præſens; ſed etiam per ejus intentionem determinari debet, ut ſit hæc, vel illa. Hinc communiter notant, quod ſi Sacerdos, verbi gratia manu tenens decem hoſtias intendat tantùm novem conſecrare, non determinando quas, vel intendat unam tantum conſecrare, non determinando quam, nihil conficeret, etiamſi tota illa materia ſit ſufficienter præſens; Ratio eſt, quia intentio conſecrantis debet eſſe practica, & non tantùm ſpeculativa, talis autem eſſe non poteſt, niſi circà determinatam materiam, tùm quia particula demõſtrativa formæ non deſignabit materiam, quæ conſecratur, nec effectum, qui ex conſecratione fit; tùm denique quia in aliis quoq; ſacramentis, quæ conſiſtunt in uſu, & verſantur circa ſubjectum ſanctificandum, neceſſe eſt, ut ſubjectum ſit certum, & determinatum ex intentione miniſtri, vndè ſi quis intenderet baptizare hominem, & non hunc hominem, nihil efficeret.

Dices, hinc ſequi, quod ſi Sacerdos conſecret exiſtimans unam tantum conſecrare hoſtiam, & poſtea reperiat duas, nulla erit cõſecrata. Reſp. ſi Sacerdos intentionem ad unam tantùm hoſtiam ità coarctavit, ut omnẽ aliam poſitivè excluſerit, concedo ſequelam, quod nulla erit conſecrata; ſi verò intentionem ſic coarctatã non habuerit, dico utramque hoſtiam manere conſecratam; & ratio eſt, quia intentio miniſtri moraliter sẽper ſupponitur eſſe, cõſecrandi omnem materiam ſibi pręſentem, & quam ad conſecrandum defert, atque ita, niſi poſitivè excludat omnẽ aliam materiã præter eam, quam exiſtimat ſolam ſe detuliſſe, omnem abſolute conſecrat; nec obſtat illa falſa exiſtimatio, quod ſit una tantũ hoſtia, quam ſecũ detulit ad altare; quia talis exiſtimatio ſpeculativa, & privata cenſetur, nec nocet intentioni practicæ, & generali Sacerdotis, quam ſemper habet conſecrandi totam materiam, quã habet præſentem, à qua generali intentione tota illa materia pręſens determinationem recipit in ordine ad conſecrationem.

129 Tertiò, conveniunt rurſus omnes, quamcumq; minimam quantitatem ſenſibilem, in qua ſubſtantia panis, & vini cõſervari poteſt, eſſe aptam materiã conſecrationis. Ratio eſt, quia talis particula eſt pręſens localiter, & eſt deſignabilis per particulã demõſtrativã *Hoc*, vel *Hic*, quod ſufficit ad hoc, ut poſſit cõverti in corpus, & ſanguinem Chriſti; tùm quia hæc particula omnes habet conditiones ad conſecrationem requiſitas; eſt enim ſenſibilis, quę eſt præcipua ſacramenti conditio, & ſub ea conſervatur ſubſtantia panis, & vini, quę eſt materia remota hujus ſacramenti; nec refert, quod ſit minima, dũmodo ſit sẽſibilis, nã Chriſtus de facto exiſtit ſub quacumq; minima parte hoſtię conſecratę. Nec obſtat, quod nõ quęcũq; minima quãtitas aquę ad baptiſmũ ſufficit, nec modiciſſima mica panis poteſt manducari, nec modica vini gutta potari; Nec diverſa eſt ratio de ſacramento baptiſmi, & Euchariſtiæ, quia per guttam aquæ non fit ablutio, quę eſt materia neceſſaria baptiſmi, ſed gutta vini vere eſt vinũ, quod eſt materia Euchariſtiæ; & ſatis eſt per ſe panem, & vinum eſſe materiam cibi, & potus, licèt per accidens tam parva quantitas nõ poſſit ad uſũ applicari; Ex quo ſequitur, quod ſi panis, vel vinum ſit in tam exigua quantitate, ut modo humano, & naturaliter ſenſibilis non ſit, nulla ratione valide conſecrari poterit, quia quodcumque ſacramentum ex inſtitutione divina habet, quod ſit ſignum ſenſibile, & conſequenter materiam requirit, quæ ſit ſenſibilis, atque ideò quod actu ſenſibile non eſt, validè conſecrari non poteſt.

130 Sed obiicies, quęlibet pars minima panis, aut vini, aliis partibus conjuncta conſecrabilis eſt, & de facto conſecratur cum aliis, ergo quælibet talis etiamſi ſeorſim ſumpta abſolutè conſecrari poterit, quia adhuc ab aliis ſeparata eandem entitatẽ, & quãtitatem habet, quam habebat aliis conjuncta, & unita. Confirmatur quia Chriſtus conſervaretur in quavis parte etiam inſenſibili hoſtiæ conſecratæ, ſi à toto divideretur; ergo poſſet etiam in ea primo produci, nam eadem diſpoſitio requiritur ad conſervandum, atque ad perficiendum hoc ſacramentum; antecedens probatur, quia in Florentin. & Trident. abſolute, & ſine ulla limitatione definitur corpus Chriſti contineri ſub ſingulis ſpecierum particulis etiam ſeparatione facta: & ſicut in toto Chriſtus conſervatur ſub quavis parte etiam ſenſibili, ita etiam à toto ſeparata, quia ſeparatio non variat naturam panis.

Reſpondetur negando conſequentiam, quod enim ex ſe inſenſibile eſt, fit in toto ſenſibile, tanquam pars ejus, quia per ſe exiſtens nequit immutare ſenſum, quem tamen immutare poteſt, ut unitũ alteri, poteſt enim cooperari aliis partibus, quia virtus unita fortior ſeorſim autem ſumptum ſenſum immutare non poteſt, ac conſequenter nec etiam conſecrari, quia per pronomen *Hoc* ſenſibiliter deſignari non poteſt; quod ad materiam conſecrationis requiritur. Ad Confirmationem, aliqui negant antecedens, quia in parte inſenſibili ſeparata à toto non conſervaretur forma panis uſualis, qui debet eſſe ſenſibilis, quicquid ſit, an in ea conſervaretur panis ſimpliciter, Chriſtus autem conſervaretur ſub accidentibus panis quamdiu ſub illis conſervatur panis uſualis; in toto autẽ quælibet pars fit ſenſibilis ratione totius, cum quo continuatur, ſeparata autem variatur quoad ſenſibilitatem, & hinc eſt, quod Chriſtus in toto conſervatur ſub qualibet parte quantumvis minima, non tamen ſeparata; & quando Concilia dicunt Chriſtum manere ſub qualibet particula etiam ſeparata, ajunt intelligere de ſenſibili, naturaliter enim conſervari non poteſt tam parva particula, quæ aliquo ſenſu percipi non poſſit. Alii autem admiſſo antecedente negant conſequentiam, quia aliqua exiguntur ad fieri rei, quę ad cõſervationem neceſſaria non ſunt; undè licet conſervari poſſit Chriſtus facta ſeparatione ſub qualibet particula, non tamen cõſecrari; quia in fieri neceſſe eſt materia poſſe demonſtrari, ut conſervetur, ſed poſt conſecrationem non eſt id neceſſarium, ut conſervetur, & utraque ſolutio defendi poteſt juxtà varietatem principiorum.

131 Quarto tandem, quoad quantitatem ex parte magnitudinis non omnes conveniunt, ſed variæ ſunt opiniones; Aliqui affirmãt dari terminum in quãtitate quoad magnitudinem, ultrà quam nequit validè cõfici, quam limitationem nec etiam ex eodem fundamento deducunt. Alii è contrà abſolutè negant dari ullũ terminum, etiamſi in infinitum procedatur in extenſione. Alii tandem negãt quidem, ſi in infinitum fingamus panem extendi, aut ultrà ſenſum poſſe conſecrari, non quidem ob exceſſum quantitatis, neque ex defectu poteſtatis conſecrandi, ſed ex defectu pręſentiæ requiſitæ; ita Suarez, Averſa, Morandus, Amicus, Poncius, Gavatius, & alii paſſim, & hæc opinio ſicut eſt communior in ſcholis, ita etiã probabilior, Ratio eſt, quia ad præſentiam requiſitam in re conſecranda requiritur, ut res ſit præſens aliquo modo practico & moraliter, & demonſtrabilis per ly *Hoc*, vel *Hic*, at ſi vel panis, vel vinum eſſet in immenſa aliqua magnitudinę, non diceretur tali particula demonſtrari, nec eſſe præſens practicè, & moraliter, ergo &c. Neque enim ad hoc, ut aliquid dicatur alicui eſſe præſens morali modo, itaut ſit propriè demonſtrabile per ly *Hoc* ſufficit, quod ſit continuatum cum eo, quod eſt illi præſens, & demonſtrabile, undè videmus, quod licet aer verbi gratia, qui eſt in ſuprema aeris regione continuetur cum eo, qui eſt nobis præſens; & terra, quæ eſt hic Meldulæ, verbi gratia, continuetur cum ea, quæ eſt Romæ, non tamen loquendo de aere ſupremę regionis, aut de terra, quę eſt Romæ, dicemus *hic aer*, vel *hæc terra*, ſed potius ille aer: illa terra, non ſecus ac eſſent omnino diſcontinuata ab aere, & terra nobis præſenti. Ex qua doctrina refellitur ſolutio Valentiæ, Vaſquez, Caſpenſis ac etiam Brancati noſtri dicentium, tunc per defectum præſentiæ non poſſe totam materiam conſecrari, quando eſt ſeparata, & in diverſis locis, quod ſi ſit continua, vel quaſi continua v.g. coadunata per modum acervi, tunc poſſe in qualibet quantitate conſecrari, cum enim tota illa magnitudo ſit quantitas una continua ratione partium vicinarum, quæ demonſtrarentur per proponem *Hoc*, iam diceretur tota demonſtrata; & partes illæ remotæ cùm ſint continuæ cum proximis, per has moraliter ſaltem præſentes cenſeri debent,

132 Reiicitur, inquam, hæc ſolutio, quia ut materia aliqua poſſit validè conſecrari, non eſt ſatis, quod tantùm ſecundum aliquã ſui partem ſit conſecranti moraliter præſens, ſed neceſſe eſt, ut ſecundum omnes ejus partes moralem ſaltem præſẽtiam habeat; Nec ſufficit, quod remotæ ſint continuæ cum proximis, ut per has ſaltem moraliter pręſentes cenſeri debeant, ſiquidem illa partiũ con-

tinuitas nihil refert per habitudinem ad humanam præſentiã, quare partes longe diſtantes, quamvis ſint propinquis continuæ, ita ſe habent in ordine ad præſentiam, ſicut ſi eſſent ſeparatę; alioquin Roma diceretur mihi moraliter præſens, & aer qui eſt in ſuprema regione, eo quia cõtinuantur cum terra, & aere, quæ ſunt hic Meldulæ, Tùm quia partes illæ ideò longe diſtantes, quamvis cũ propinquis continuatæ, non poſſent per pronomen *Hoc* vere, & proprie deſignari; ſicut ſi quis in littore noſtri maris exiſtens diceret hæc eſt aqua, utique à nullo prudente exiſtimaretur loqui de aqua quæ eſt in India, licet ſit continuata cum noſtra, ſed de illa ſolùm quæ ab eo ita indiſtans eſſet, ut per pronomen *Hoc* vere, & proprie deſignari poſſet, quamvis etiam cum parte propinquiori nullam continuitatem haberet; ergo continuitas illa non eſt ſufficiens, ut remotiſſimæ partes propinquiores, quibus ſunt conjunctæ; cenſeatur moraliter præſentes, ut requiritur ad verba conſecrationis verificanda; atque ideo ſi materia conſecrationis non haberet menſuram, & terminum determinatum in magnitudine, poſſet conſecrari aliquod non pręſens conſecranti.

Reſpondet Brancatus noſter *diſp.* 18. *a.* 6. *n.* 129. negando ſequelam, quia in primis evenire non poteſt naturaliter, ut fiat panis tãtę magnitudinis, & ſi fingatur panis, ſicut mons magnus, vel fiat à Deo, ait quod eſſet moraliter præſens quoad conſecrationem, ſicut qui in magna planitie abſolveret ab excommunicatione magnum exercitum ibi commorantem, vel populum alicujus civitatis, quia non requiritur phyſica indiſtantia, neque æqualis diſtantia omniũ partium, quo etiã ſenſu magnus exercitus dicitur Imperatori, vel Duci præſens, non quidem phyſicè, ſed moraliter ob continuitatẽ partium illi toti proportionatam; ita igitur ſi adeò magnus panis daretur, ſicut mons, vel vinũ in tanta quantitate, ſicut eſt aqua maris, erit præſens phyſice per aliquas partes ſcilicet propinquiores, moraliter autem per reliquas, quæ ſunt remotiores.

133 Hæc tamen ſolutio ſicut cum præcedenti omninò coincidit ita eaſdẽ patitur inſtantias, falſum enim eſt, ut materia ſit præſens, & ſenſibilis quantum ſufficit ad conſecrationem, ſatis eſſe quamcumque partium continuitatem; aliàs mihi in littore maris exiſtẽti tota Oceani aqua eſſet moraliter pręſens, etiam quæ apud Indos exiſtit, & ſi tota miraculoſe in vinum converteretur poſſet à me tota illa aqua in vinum converſa conſecrari, quo nil abſurdius excogitari poteſt, requiritur ergo talis partium continuitas, quæ ſufficiat ad demonſtrandum aliquid præſens per illa pronomina *Hic*, & *Hoc*; Unde exempla adducta nõ ſunt ad rem, quamvis enim magnus exercitus dicatur totus præſens Duci moraliter ob continuitatem partium illi toti proportionatã, non tamen eſt talis præſentia moralis, quæ in modo ſtricto loquendi ſufficiat ad demonſtrãdum aliquid per illud pronomen *Hoc*, & quamvis dici poſſet; hic eſt exercitus Cæſaris, non tamen in eo ſenſu, quo verificari debet forma conſecrationis, hæc enim requirit, ut materia conſecrabilis ſit intra ſphæram activitatis potentię ſenſitivæ, quod de toto illo magno exercitu, & ſingulis ejus partibus dici non poſſet; Neque etiam aliud exemplum de abſolvente totum exercitum ab excõmunicatione eſt ad rem ob eandem rationem, nam ſtrictior præſentia moralis requiritur ad verificandam formam conſecrationis per pronomen *Hoc*, quàm formam abſolutionis per ly *Vos abſolvo* abſolutio namque etiam abſentibus impertiri poteſt, & ita etiam olim impertiebatur, quando licita erat confeſſio per epiſtolas: at materia conſecrationis debet eſſe ſenſibiliter, præſens; & per pronomen *Vos* etiã abſentes deſignari, & appellari poſſunt, at per pronomen *Hoc* non niſi ſenſibiliter præſens poteſt demonſtrari.

Sed Obiicies: totum vinum, quod eſt in dolio; cenſetur ſufficienter præſens, ut validè conſecrari poſſit, quamvis omnem illius partes, quæ ſunt in medio, & in profundo, non videantur, ſed illæ tantùm, quę ſunt in ſuperficie; ergo ut materia conſecrabilis ſit moraliter præſens, & ſenſibilis opus non eſt, quod ſecundum omnes ſuas partes ſit præſens, & ſenſibilis, ſed ſufficit eſſe talem ſecundum aliquam, vel aliquas ſui partes, eo enim ipſo, quod reliquæ partes ſint illis conjunctæ, dicuntur omnes eſſe moraliter pręſentes, & ſenſibiles.

135 Reſpond. ex proximè dictis, ad hoc ut materia conſecrabilis dicatur moraliter pręſens, & ſenſibilis, non ſufficere quamcumque partium continuitatem, ſed talem eſſe debere, quę ſufficiat ad demonſtrandum aliquid præſens per illa pronomina *Hic*, & *Hoc*, & ita ſolùm illæ partes, quæ ſunt intrà ſphærã activitatis potentiæ ſenſitivæ, poſſunt dici moraliter præſentes, & ſenſibiles, licet ratione partium interpoſitarum actu nõ ſentiantur; unde cùm omnes partes vini in dolio exiſtentes ſint intrà ſphęram activitatis potentiæ ſenſitivæ, poſſunt omnes eſſe materia conſecrabilis, & per illas partes, quæ actu videntur in ſuperficie, poſſunt per pronomen *Hoc* verè; & propriè deſignari, non ſolùm enim de partibus quæ actu videntur, ſed de iis etiam, quæ actu non videntur, propriè pronomen *Hoc*, vel *Hic* proferri poteſt; quia licet actu non videantur, in tali tamen indiſtantia ſunt, ut actu videri poſſint, ac moraliter pręſentes videnti cenſeantur; quod verificari nequit de omnibus partibus ingentis alicujus magnitudinis, nã remotiſſimæ ſunt omninò extrà ſphæram activitatis ſenſuum externorum; & nedùm non ſunt in proxima diſpoſitione, ut à Miniſtro videantur, ut de partibus vini in fundo dolii exiſtentis dicebamus, ſed ab eo & phyſicè, & moraliter cenſentur diſtantes, ac proindè nec per proximiores videri, nec per pronomen *Hic*, vel *Hoc* propriè deſignari poſſunt, nec conſequenter conſecrari, undè ad argumentum neganda eſt conſequentia.

Dices, ergo ſi materia ſit valdè diſtans, dummodò oculis videri poſſit, poterit conſecrari, ſiquidem eſt intrà ſphæram activitatis potentiæ viſivæ; hoc autẽ eſt omninò falſũ, ut de ſe conſtat. Reſp. non tantùm requiri, ut materia conſecrabilis ſit intrà ſphæram activitatis potentiæ ſenſitivæ, ſed ulterius etiam talem diſtantiam requiri, ut moraliter loquendo, & ſecundum prudentum exiſtimationem dicatur materia illa præſens, & quidem tali præſentia, quæ in modo ſtricto loquendi ſufficiat ad demoſtrandum aliquid per illud pronomen *Hoc*; Quando autem objectum cernitur à longe, & in notabili diſtantia, in communi modo loquendi non deſignatur per pronomem *Hoc*, ſed *illud*, ac proinde etiamſi contineretur intrà ſphæram activitatis potentiæ viſivę, quia diſtinctè etiam cernitur à longè, non tamen cenſeretur moraliter præſens, ſed abſens, & diſtans, nec deſignari poſſet per pronomen *Hoc*, ſed tantùm *illud*. Quanta autem eſſe debeat hæc propinquitas, quæ ſufficiat ad faciendam rem moraliter pręſentem, nulla certa regula præſcribi poteſt, & mathematica menſura definiri, ſed prudenter dijudicari debet juxtà ſenſum, & proprietatem loquendi, de quo videri poteſt Bonacina *q.* 2. *punc.* 6. *n.* 10. & 11.

135 Itaque concludendum eſt, materiam Euchariſtiæ per ſe non habere terminum ſuæ magnitudinis, aut parvitatis, hoc eſt, ex vi formæ, & poteſtatis, quæ eſt in miniſtro, ſed tantum per accidens, quia materia conſecrabilis debet eſſe moraliter præſens, & ſenſibilis, hoc eſt, quæ aliquo ſenſu percipi poſſit: hęc autem petit terminum ſuæ magnitudinis, & parvitatis; ergo per accidẽs habet terminum ſuæ magnitudinis, & parvitatis: Minor probatur, quia poteſt dari quantitas aliqua panis, vel vini adeò parva, ut ſit extra naturale objectum ſenſus humani, etiamſi perfectiſſimus, & acutiſſimus ſit; & ex alia parte, cum ſenſus determinatã habeat ſphęram ſuę activitatis, non poteſt ſe extendere ad quamcũque maximam quantitatem; ergo ut ſit moraliter præſens, & ſenſibilis humano modo, requirit aliquem terminum ſuæ magnitudinis, tam verſus maximum, quam verſus minimum, & ità per accidens habet terminũ tàm magnitudinis quàm parvitatis, quę eſt ſenſibilitas, & præſentia quædam moralis, quæ non habetur in quantitate quantumcumque maxima reſpectu omnium partium, nec quantumcumque minima; Non eſt autem neceſſe materiam conſecrationis ita eſſe ſenſibilem, ut ſit præſens omnibus ſenſibus, alioquin cæcus conſecrare non poſſet, cujus oppoſitum docet Sc. de quodam Epiſcopo apud Amicũ qui quotidie ex diſpenſatione Põtificis conſecrabat, ſed ſufficit, ut ſit præſens alicui ſenſui, unde ſufficit notitia tactus, olfactus, guſtus, ac etiã auditus, ſi nimirũ ex relatione alterius certificaretur Miniſter panem, vel vinum adeſſe, quod ultimum an ſit verum, prudentum judicio decernendum reliquo, hoc quidem certum eſt, & regula infallibilis in dubio rationabili conſecrationem ſemper eſſe repetendam; Qui plura de hac materia deſiderat, adeat Gavatium noſtrum, qui integram diſputationem ſeptimam de ea conficit.

QUÆSTIO SEXTA.

Quænam ſit forma conſecrationis corporis in Euchariſtia.

136 CONveniunt omnes Catholici formam conſecrationis corporis in illis quatuor verbis conſiſtere, *Hoc eſt corpus meum*, ità enim docuit Apoſtolus 1. Cor. 11. ubi recitans, & docens formam, qua Chriſtus conſecravit, dicit, *Hoc eſt corpus meum*, ità etiam docuit Conc. Flor. in decreto Eugenii, ubi in ſpecie loquens de ſacramento Eucariſtiæ dicit formam hujus ſacramenti eſſe verba illa Salvatoris, *Hoc eſt corpus meum*, quibus hoc ſacramẽtum conficitur, Sacerdos enim in perſona Chriſti loquẽs illis verbis hoc conficit ſacramentum, & idem tandem docet Trid. *ſeſſ.* 13 Cõveniunt etiam particulam *enim* non eſſe de eſſentia formæ cõſecrationis, & conſequenter nec de neceſſitate ſacramenti; ſed tãtum poni ad continuanda præfata quatuor verba cum pręcedentibus, ſcilicèt, *Qui pridiè* &c. eſſe tamen de neceſſitate præcepti, ũdè qui eam omitteret, graviter peccaret cõtrà perpetuam, & univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem. Sola igitur difficultas eſt, an quatuor illa verba ad ſubſtantiam, & validitatem ſufficiant ſacramenti, an etiam neceſſaria ſint verba præcedentia, *Qui pridiè*, ut ſacramentum Euchariſtiæ conficiatur.

137 Prima ſententia docet verba illa præcedentia formã conſecrationis, licèt non ſint forma, vel pars illius, eſſe tamen ità neceſſariò requiſita, ut ſi Sacerdos illis pretermiſſis conſecraret, vel nihil efficeret, vel ſaltem dubium eſſet, an conſecraſſet, quia illa verba præcedentia ſunt neceſſario, tanquam conditio determinãs modo ſẽſibili prolatione formę fieri in perſona Chriſti; quę opinio communiter tribuitur Sc. 4. *d.* 8. *q.* 2. *§. de* 2. dico, ubi habet hæc verba ſi quis Sacerdos inciperet ſic loqui, *Hoc eſt corpus meum*, nõ prędicens verba præmiſſa, non eſt adorandum ſacramentum, niſi ſub conditione, ſi vere conſecratum eſt; ità Doctor, quibus verbis moti Scotiſtę nonnulli, hanc ſecuti ſunt ſententiam, ut ejus genuinam, ut Rada 3. *par. contr.* 5. *art.* 3. Faber 4. *ſent. diſ.* 33. Branc. *diſ.* 19. *art.* 1. & ex recentioribus ſequitur Paſq. *diſ.* 95. *ſec.* 2. Secunda ſententia eſt communis aliorum dicentium verba precedentia illud pronomen *Hoc*, non eſſe de neceſſitate ſacramenti, ſed ſolùm præcepti, ac proindè ſi omitterentur, adhuc per illa quatuor verba, *Hoc eſt corpus meum*, verè Euchariſtiæ ſacramentum conficeretur, quamvis enim verum ſit, quod illa quatuor verba abſolutè prolata ſine præcedentibus ex vi verborum non ſignificant id quod efficitur, ſed corpus proferẽtis, quia ly *eſt*, unit ly *corpus* ad eum, qui dicit *meum*; tamen ſi Sacerdos, cum illa verba profert, intendat corpus Chriſti, jam hæc non ſignificant corpus proferentis, ſed Chriſti; Et hæc non ſolùm eſt communis in Schola Thomiſtarum, ſed etiam eſt Alenſis, & D. Bonaventuræ; & Tataretus fideliſſimus Scoti interpres ait Doctorem oppoſitum docuiſſe diſputãdi gratia, non tamen oppoſitæ ſententiæ firmiter adhæſiſſe, quia ibi ſe remittit meliori judicio, qua de cauſa plures etiam, & graviores Scotiſtæ, tùm veteres, tùm recentiores, hanc ſecundam tuentur ſententiam ut Tataretus cit. Baſſolius, Hiribarnes, Aretinus, Hiqueus, Gavatius, Poncius, & alii Recentiores paſſim.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæſtionis Reſolutio.

138 IN hac quæſtione dicendũ puto, quod licèt prima opinio ſua probabilitate non careat, ut oſtendunt Poncius, & Hiqueus, etiamſi ſecundam ſequantur, hæc tamen ſecunda probabilior eſt, tùm quia communior, tùm quia Doctor ipſe *d.* 8. *q. cit.* quamvis *art.* 2. pro prima opinione ſtare videatur, tamen in *ar.* 3. in communẽ opinionem ipſe quoque condeſcẽdere videtur, etenim ut notat Hiqueus ibidẽ, poſtquam in 3. illo articulo fusè diſſervit de ſẽſu illius orationis in rigore logico, ſubiungit reſolutorie nõ eſſe neceſſarium, ut Miniſter talem ſenſum exquirat, aut reſolvat, quis eſſe poſſit; ſed ſufficere proferre orationem ſub ea intẽtione, qua Chriſtus eam inſtituit proferendam, & ſic erit inſtrumentum ponendi corpus Chriſti ſub ſpeciebus, cui ut à tali agente prolato aſſiſtit Deus, ut ponat affectũ in ultimo inſtãti prolationis ejuſdẽ; Ex quibus videtur ſignificare, inquit Hiquęus, ad conſecrationẽ validam ſufficere, ut prolatio fiat ſervata intẽtione proferẽdi formam, prout Chriſtus inſtituit eam proferendam, & habere effectum, tanquam inſtrumentum ſenſibile à Chriſto inſtitutum cui Deus aſſiſtit ad effectum cauſandum in ultimo inſtãti prolationis verborum; ità cõcludit Doctor in eo tertio articulo ſub litter. Y. verſic. *ſic ergò breviter*, ex quo Scoti diſcurſu colligitur, quod quotieſcũque Sacerdos intẽdit proferre, & profert verba cõſecracionis ſecundùm quod fuerunt à Chriſto inſtituta, ſufficienter intelligitur loqui in perſona Chriſti, & habetur totũ id, quod requiritur, ut conficiatur ſacramentum, ſcilicèt, intentio debita, & inſtrumentum debitum, cui Deus aſſiſtit; quod etiã adnotavit Gavatius *diſ.* 8. *q.* 3. *c.* 1. non ergo eſt de mente Doctoris neceſſariò requiri alia verba præcedentia formam ad hoc ſacramentum conficiendum, ſed illum dicendi modũ in ſecũdo articulo propoſuit, ut probabilem diſputationis gratia, non verò ut abſolutè tenẽdũ,

139 Probatur autem noſtra concluſio; ut verba formam hujus ſacramenti conſtituentia ſuũ ſortiantur effectum, ſcilicèt, ut ex vi ipſius ponatur corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis; utiq; neceſſarium eſt, ut proferantur in perſona Chriſti, nam in conſecratione Euchariſtiæ verba non referuntur ullo modo ad perſonã Sacerdotis loquentis, ſed ad Chriſtũ, in cujus perſona loquitur Sacerdos, dum inquit, *Hoc eſt corpus meum*; ſed ut hæc verba proferantur in perſona Chriſti, non pendet ex verbis antecedentibus in Canone; ſed ex intentione Miniſtri, quam poſtulat veritas ipſa formæ à Chriſto inſtitutæ, etenim hoc ipſo, quod verba formæ proferantur, ut vera, neceſſe eſt proferri in perſona Chriſti; ergo &c. Major patet, probatur minor, nam quantumcumque Sacerdos verba pręcedentia premittat, ſi tamen intentionem nõ habet ea verba proferendi eo modo, quo Chriſtus inſtituit, & efficiendi quod Chriſtus effecit, ſacramentum non conficiet, quia ſine tali intentione proferendo, ea tantùm proferret materialiter, & recitatione, non verò formaliter, & ſignificativè, ut ad effectionem ſacramenti neceſſarium eſt, quod ſi ea verba proferat cum tali intentione, eo nẽpè modo, quo Chriſtus inſtituit, ſufficienter intelligitur ea verba proferre, non tantùm materialiter, & recitativè ſed etiam formaliter; & ſignificativè, ac proinde eo ipſo in perſona Chriſti loqueretur, & ſacramentum conficeret; ergo verba præcedentia non ſunt ſufficientia, ut intelligatur Sacerdos loqui in perſona Chriſti, ſed hoc ſpecialiter dependet ex intentione miniſtri, quam etiam habere poteſt ſine prolatione verborum præcedentium.

140 Confirmatur, quia ſi Sacerdos legat hiſtoriã inſtitutionis hujus ſacramenti, vel in Euangelio, vel in Epiſt. citata D. Pauli, ac etiã proferat illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, & ſi ſẽſibiliter dicantur in perſona Chriſti recitando Euangeliũm, vel locum D. Pauli, non eſt tamen ſatis ad conſecrandum; & quidem non alia ratione, niſi quia eſto illa verba referat in perſona Chriſti, hoc tãtùm facit materialiter, & recitativè; non verò formaliter, & ſignificativè, ob defectum intentionis proferendi ea eo modo, quo Chriſtus inſtituit, & efficiendi quod Chriſtus effecit: ergo non dicitur Sacerdos induere perſonam Chriſti, & in perſona ipſius loqui quatenus ſolùm recitat, quæ Chriſtus dixit, & fècit, ſed quatenus verba profert eo modo, quo Chriſtus inſtituit, & cum intentione efficiendi quod ipſe effecit, primum autem facit Sacerdos per verba præcedentia, ſecundum verò per ipſa verba conſecrationis cum debita intentione prolata; ergo hoc adæquatè pendeat à ſola intentione Sacerdotis, & Chriſti inſtitutione; atque ita non per verba antecedentia, ſed per ipſa verba cõſecrationis debite prolata intelligitur loqui Sacerdos in perſona Chriſti; imò præcedentia verba potius impedire videntur, quàm juvare ad hoc, videntur enim indicare Sacerdotem recitativè ſolùm proferre totam illam hiſtoriam, quam in verbis præcedentibus recitare incæpit, & narrare.

141 Denique ut conſtat ex Florentino in decreto unionis Armenorum verba, quibus hoc conficitur Sacramentum, ſunt verba Salvatoris, in cujus perſona Sacerdos loquens hoc conficit ſacramentum; at aliqua ex illis verbis, quæ pręcedunt, non ſunt verba Salvatoris, ſed Evangeliſtarum; ergo ad formam hujus ſacramenti non pertinet, nec neceſſaria ſunt de neceſſitate ſacramenti; & quãvis verba illa, *accipite, & mãducate* ſint verba Salvatoris Sacerdos tamen non ea profert in perſona Chriſti, niſi tantùm materialiter & recitativè, aliàs vero non eſſent; tùm quia verba illa ſignificant tantùm uſum hujus ſacramenti, quod cum in re permanenti eſſentialiter conſiſtat, ad ejus eſſentiam, & valorem pertinere nequeunt quarè in Lucæ Evangelio ea verba omittuntur, cum dicat *accepto pane gratias egit, & fregit & dedit eis dicens, Hoc eſt corpus meum*, non eſt autem credibile Evangeliſtam Euchariſtię inſtitutionẽ referentem, id quod erat ad valorem formę neceſſarium omiſſe; Et per hæc argumenta ſufficienter excluditur conſueta Adverſariorum reſponſio dicentium noſtras rationes probare duntaxat, verba illa præcedentia nõ eſſe neceſſaria quaſi ſint pars intrinſeca formæ ac de illius eſſentia; non autem probare, non requiri, ut verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, ſint verba Chriſti, & in perſona Chriſti prolata, quod neceſſario requiritur, ut ſint apta forma conſecrationis; Excluditur inquam, hæc reſponſio, quia rationes allatę, non tãtùm probant verba præcedentia illa quatuor non eſſe de eſſentia cõſecrationis, ſed nec etiam facere, ut forma conſecrationis proferatur à Sacerdote in perſona Chriſti formaliter, & ſignificativè, quia hoc adæquatè pendet ab intentione Sacerdotis, & Chriſti inſtitutione.

Reſpondent Scotiſtæ oppoſitæ ſentẽtiæ, intentionem Miniſtri non ſufficere ad faciendum, quod illa verba ſecundum proprietatẽ ſermonis ſint verba Chriſti, & proferantur in perſona Chriſti, quoniam voluntas, & intentio proferentis non tribuit verbis vim ſignificãdi; quarè ſi ipſa, ut ſimpliciter dicta, & ſine præcedentibus non ſignificant ex vi propria corpus Chriſti, ſed corpus proferẽtis neque intentio proferentis ſufficiet, ut talem vim ſignificandi habeant; undè ſi Sacerdos extrà altare hæc verba proferret, *Hic eſt corpus meum*, & ſi ea vellet in perſona Chriſti proferre, per ea non ſignificaretur corpus Chriſti, ſed ipſius Sacerdotis loquentis; quarè neceſſariò ſequitur præcedentia verba eſſe permittenda, ut verba conſecrationis in perſona Chriſti dicta intelligantur.

143 Sed hæc ſolutio facilè refellitur ex dictis, quãvis enim verùm ſit verba illa nudè, & abſolutè ſumpta abſtrahendo ab inſtitutione, & præcepto Chriſti, non ſignificare ex vi propria corpus Chriſti; ſed corpus proferentis, nec cenſeantur ex vi verborum in perſona Chriſti prolata; tamen ſi accipiantur, quatenus à Chriſto ad hunc effectum inſtituta fuerunt, ut per illa cum debita intẽtione prolata ſuprà materiam debitam Sacerdos Sacramentũ Euchariſtię conficeret tranſubſtantiando panem in corpus Chriſti, hoc modo illa duo ſignificare poſſunt, & cũ omni proprietate ſermoni; tunc enim Sacerdos in perſona Chriſti loquitur, ideoque ly *meum*, non corpus loquẽtis ſignificat, ſed Chriſti, cujus vicem gerit; & quamvis etiam verum ſit verba illa talem vim ſignificandi à ſola voluntate, & intentione proferentis habere non poſſe, poſſunt tamen eam mutuare ab inſtitutione Chriſti inſtituentis verba illa cum intentione debita à Sacerdote prolata; undè ſi Sacerdos ſuprà debitam materiam proferret verba conſecrationis ſine præcedẽtibus cum intentione conſecrandi, verè ſacramentũ conficeret, & verba illa ſufficienter practicè ſignificarent panẽ tranſubſtantiari in corpus Chriſti; Vndè licet neceſſe ſit ad conſecrationem, quod forma proferatur in perſona Chriſti, non tamẽ modo ſenſibili per præcedentia verba, ut contẽdit Paſqualigus loco citato cũ noſtris Scotiſtis oppoſitæ ſentẽtiæ; alioquin quãdo accideret caſus, quod in eodem ſacrificio ſit conſecranda nova hoſtia, non eſſet ſatis cõſecrationẽ incipere ab illis verbis, *Qui pridie quam pateretur*, cõtra præceptum Rubricæ in Miſſali *§.* 3. *de defectibus*, quia ly *Qui* ſine pręcedentibus verbis non refert magis perſonam Chriſti, quàm alterius; tùm quia per illa verba præcedentia talis determinatio formæ conſecrationis fieri nequit, ut proferatur in perſona Chriſti, quantum ſufficit a conſecrationem, ſignificant enim, ut ſuprà dicebamus

dicebamus, ſacerdotem proferre verba cõſecrationis materialiter ſolùm, & recitativè, referendo nempè præciſa verba, quibus Chriſtus ſacramentum confecit, quo modo non ſignificant ibi eſſe corpus Chriſti; Quarè quod ſit forma ſacramentalis, ſolum facit, ut debeat eſſe ſenſibilis non autem exigit, ut ſenſibili modo proferatur in perſona Chriſti: ſed hoc adęquatè dependet à ſola intentione ſacerdotis, & Chriſti inſtitutione ſine qua etſi ſenſibiliter dicãtur verba illa in perſona Chriſti, putà recitando Evangelium, vel Epiſtolam Pauli ubi refertur hiſtoria inſtitutionis hujus ſacramenti, non eſſent ſatis ad conſecrandum.

Reſpondet rurſus Brancatus noſter loco citato negando nõ pendere ex verbis formam cõſecrationis præcedentibus, quod loquatur Sacerdos in perſona Chriſti, ſed ſolum eo intentione ſic loquẽ-di; nam licet ego referens aliquod dictum Dei, intendam loqui in perſona Dei, illud tamen dictum non præſefert, neque ſignificat Deum, niſi præmittam aliquod verbũ quo oſtendam Deum loqui v.g. ſi dicam, *Arcum meum ponam in nubibus* &c. & intendam loqui in perſona Dei, qui hoc dixit; ſi nullum aliud verbum præmittam, verba illa intelligentur de me ex vi verborum, & non de Deo; & è contra verò aliquis referens, quod dixit Pontifex; *Mea auctoritas non eſt ab hominibus, ſed à Deo*, jam repræſentat Pontificem loquentem, & verba illa ſignificant auctoritatem Pontificis, qui de ſe fuit locutus; ita Sacerdos cùm refert id, quod dixit Chriſtus repræſentat Chriſtum loquentem, & ſic dicentem, *Hoc eſt corpus meum*; ſi verò non refert, quod Chriſtus fuerit locutus, verba illa intelligerentur de ſe, & ſic ex vi ſua non ſignificarent corpus Chriſti, ſed ſuum.

143 Sed Contrà argumentor ex communi doctrinę Scotiſtarũ, & ipſius Brancati ibidem, ubi dicit quod verba Euchariſtiæ non ſolùm repræſentare debent Chriſtum loquentẽ, ſed corpus Chriſti ex vi prolationis, quia Sacerdos proferre debet verba conſecrationis non tantùm materialiter, & recitativè, ſed formaliter quoque, & ſignificativè, quia ſi recitativè duntaxat proferret, ſacramentũ non conficeret, ſed ſecluſa intẽtione faciendi id quod Chriſtus inſtituit, per verba conſecrationem pręcedentia datur tantum intelligi Sacerdotem verba conſecrationis proferre materialiter, & recitativè: non verò formaliter, & ſignificativè; ergo id ſpecialiter pẽdet ab intentione miniſtri, quatenus profert illa ea intentione, qua Chriſtus inſtituit, & protulit, efficiẽdi, quod Chriſt. effecit; Major patet, minor probatur, rigoroſè enĩ loquendo dùm Sacerdos dicit, *Accepit Jeſus panem, benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis dicẽs Hoc eſt &c.* ly *Hic* nõ denotat id, quod habet in manibus ex vi pręcedentium verborũ, ſed quod Chriſtus habebat; non ergo per verba pręcedentia, ſed per intentionem debitam ſuppoſita Chriſti inſtitutione Sacerdos dicitur in ejus perſona loqui; Vndè neque allata exempla ſunt ad rem, ſed potius ad oppoſitum, nam qui refert verba illa à Pontifice audita, *Mea auctoritas non eſt ab hominibus, ſed à Deo*, ſolùm materialiter, & recitativè Pontificem loquentẽ repræſentaret, quod ad conſecrationem nõ ſufficit, quia verba Euchariſtiæ non ſolùm repræſentare debent Chriſtum loquentẽ ſed ſignificare etiã corpus Chriſti ſub ſpeciebus exiſtens ex vi prolationis; Et ſi quis etiam verba illa pronunciet, *Arcum meum ponam in nubibus*, præmiſſo aliquo verbo, quo oſtendat ſe loqui in perſona Dei; licet per hoc moraliter, & recitativè Deũ loquentẽ repræſentaret, non ob id arcũ in nubibus efficeret, ſicut Sacerdos, verbis conſecrationis corpus Chriſti efficit ſub ſpeciebus: quoniam verba illa non ſunt à Deo inſtituta, ut quoties proferuntur ut vera, proferantur in perſona Dei, & per ea efficiatur quod eiſdem ſignificetur ſicut inſtituta ſunt verba conſecrationis, quarè exempla illa non ſunt ad rem; & gratis concedendũ eſt verba cõſecrationis præcisè non referri ad perſonã Chriſti, ſed adjuncta inſtitutione Chriſti, & intentione miniſtri, quã poſtulant verba ipſa prolata, ut ſint vera.

144 Deindè probatur noſtra aſſertio, quia nihil requiritur ad confectionem alicujus ſacramenti pręter formam, & materiam eſſentialem, ac debitam intentionem miniſtri ex Conc. Florent. in decreto Eugenii ad Armenos, ſed quatuor illa verba, *Hoc eſt corpus meum*; ſunt forma eſſentialis, & panis ſuper quem applicantur, eſt materia ſufficiens, nec requiruntur aliqua verba ab ſignificationem vel manifeſtationem intentionis miniſtri, ut conſtat in aliis ſacramentis, ergo nulla alia verba neceſſariò requiruntur.

Reſpondent Scotiſtæ oppoſitæ ſententiæ quatuor illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, non eſſe verba conſecrationis abſolutè ſumpta, ſed tantùm quatenus ſunt verba Chriſti; non ſunt autem verba Chriſti, nec in perſona Chriſti, à Sacerdote prolata, niſi præmittantur alia verba. Sed hæc reſponſio toties repetita ſatis ex dictis impugnata manet, nam per verba antecedẽtia non loquitur Sacerdos in perſona Chriſti, niſi merè materialiter, & recitativè, recitando nempè, & referendo verba, quibus Chriſtus Sacramentum confecit quo modo prolata nõ ſignificant ibi eſſe corpus Chriſti; undè ſic illa verba proferendo ſe habet tanquam privata perſona recitans, & referens, quod Chriſtus dixit, & fecit: at quando profert conſecrationis verba formaliter, & ſignificativè, nõ ſe habet, ut perſona privata, & particularis, ſed induit perſonã Chriſti, quatenus illa profert cum intẽtione faciendi, quod Chriſtus inſtituit, & fecit; atq; ita, per verba antecedentia dicitur, ſacerdos proferre verba conſecrationis materialiter tantùm, & recitativè; per debitam verò intentionem faciendi quod Chriſtus inſtituit; profert illa formaliter, & ſignificativè, quo pacto tantum induit perſonam Chriſti; ergo quod verba conſecrationis proferantur in perſona Chriſti ut ad conſecrationem exigitur per ſe, & eſſentialiter pendet ex debita Miniſtri intentione, & Chriſti intentione; ex verbis verò præcedentibus extrinſecè ſolùm, ac veluti per accidens, quatenus per illa quodammodò datur intelligi Sacerdotem loqui in perſona Chriſti; cùm ergo ea, quę rei cõveniunt extrinſecè, & per ſe, ſequitur, quod ſi Sacerdos omitteret præcedentia verba, & tantùm verba conſecrationis proferret cum debita intentione, & ut fuerunt à Chriſto inſtituta, ſufficienter adhuc intelligeretur Sacerdos loqui in perſona Chriſti, & verum ſacramentum conficeretur.

145 Poſtremo ſolet ab aliis oppoſita ſententia impugnari cum Suarez *di. 59 ſec. 1.* ab initio exemplo aliorum ſacramentorum, in quibus miniſter non pręmittit neceſſariò aliqua verba, quibus ſenſibili modo oſtendat ſe loqui ut miniſtrum Dei, non enim dicit, *Ego loquens, ut miniſter Dei, te abſolvo*; & ergo pariter poteſt etiam in hoc ſacrament. loqui in perſona Chriſti, licèt non explicet in actu ſignato per verba præcedentia, & ſenſibili modo. Sed ut advertit Card. de Lugo *diſ. 21. ſec. 3.* argumentum non eſt efficax, quia licet in aliis quoq; ſacramẽtis miniſter loquatur, ut miniſter Chriſti, & Dei, voces tamen, & verba ab ipſo prolata immediatè perſonam miniſtri ſignificant, undè in forma abſolutionis in ſacramento Pęnitentiæ, vel ablutionis in Sacr. baptiſmi ly *Ego* non refertur ad Deum, vel ad Chriſtum, ſed ad ipſum miniſtrum, quarè poſſet eodem modo dicere, Ego Petrus te abſolvo, vel te baptizo, quia re vera ipſe eſt, qui abſolvit, vel abluit, licet auctoritate à Deo accepta: At in conſecratione Euchariſtiæ verba nullo modo ad perſonam ſacerdotis loquentis referuntur, ſed ad Chriſtum, in perſona cuius loquitur; & ideò in hoc Sacram. maior videtur eſſe neceſſitas id explicandi, quàm in aliis, niſi enim id explicetur, abſolutè loquendo ly *meum* ad corpus loquentis referri videtur, & nõ ad corpus Chriſti, quarè recedendum non eſt à rationibus jam adductis, nam quædam aliæ quoque à Lugo loc. cit. adductæ ad hoc idem probandum non multum urgere videntur, quas diſſolvit Brancat. loc. cit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Adverſariorum Obiectionibus occurritur.

146 IN Oppoſitum urgent Primò Scotiſtæ oppoſitæ ſententiæ rationem à Scoto adductam loc. cit. quia verba ſacramentalia debent ex ſe, & ex vi propriæ ſignificationis, & non tantùm ex intentione miniſtri, ſignificare, quod efficiunt; ut ergo efficiant corpus Chriſti ſub ſpeciebus, debent vi ſua, & non tantùm ex intentione miniſtri illud ſignificare; non poſſunt autem vi ſuę ſignificationis illud exprimere ſine præcedẽtibus verbis Canonis, quia pronomen *meum* niſi connectatur cum verbis præcedentibus, quibus ſignificatur illud proferri in perſona Chriſti, vi ſua demonſtrat perſonam loquentis: ut ſi proferas hæc verba abſolutè, *doctrina mea non eſt mea*, ex vi ſermonis referuntur ad perſonam loquentis, quantumcumq; intendas te illa proferre in perſona Chriſti, ſi ea abſolutè proferas ſine connexione cum aliis verbis antecedentibus. Confir. ex D. Amb. lib. 3. *de ſacramentis cap. 4.* ubi de conſecratione Euchariſt. loquens inquit, *quibus verbis fit attendite quæ ſunt verba Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*: ergo neceſſaria ſunt antecedentia verba, per quæ Sacerdos in perſona Chriſti loquens ſignificet corpus Chriſti.

147 Reſpondetur negando aſſumptũ, minimè enim opus verba ſacramentalia ex vi propria id ſignificare, quod conſecratione efficitur, ſed ſatis eſt, ut ex inſtitutione divina illud ſignificẽt; vndè gratis concedimus verba ſacramentalia ex vi ſermonis præcisè ad perſonã Chriſti nõ referri, ſed adjuncta Chriſti inſtitutione, & intentione, quã exigunt verba ipſa prolata; ut vera à legitimo miniſtro; potuiſſet enim Deus orationem aliquam non ſignificativã inſtituere, ad cujus prolationẽ à miniſtro ipſe aſſiſteret ad cauſandum effectũ in fine prolationis, ſignum evidens non neceſſariò requiri verba conſecrationis eſſe ex vi propria ſignificativa illius, quod per conſecrationẽ efficitur ut in ſolutione hujus argumenti ſcitè Gavatius advertit; & licèt verba cõſecrationis nudè, & abſolutè à Sacerdote prolata ad perſonam loquẽtis referãtur; cũ debita tamẽ intẽtione prolata ſcilicèt eo modo, quo Chriſtus inſtituit, ad corpus Chriſti referuntur; Neque eſt par ratio de exemplo adducto de doctrina Chriſti, ſiquidem verba illa, *doctrina mea*, non ſunt inſtituta à Deo, ut quoties proferuntur illa; ut vera, proferantur in perſona Chriſti, ſicut inſtituta ſunt verba ſacramentalia, ut ſi Rex aliqua ſtatueret verba, quę quoties a regio Conſilio dicerẽtur, perſonam Regis repræſentarẽt, hoc ipſo poſteà, quod verba illa proferrentur à Conſilio abſque aliis verbis, quibus ſignificaret ſe loqui in perſona Regis, Conſilium talia proferens verba eo ipſo in actu exercito perſonam Regis repræſentaret ex vi præcedentis inſtitutionis. Ad Confirm. dico Ambroſium illa verba adducere quia licet non ſint de neceſſitate conſecrationis, adhuc tamen ſunt de neceſſitate præcepti, ut ſupra dictum eſt, & idem Ambroſius verba illa alibi prætermiſit.

148 Secundo arguit Hiquæus pro oppoſita ſententia, quam probabiliter quoq; defendit; quia tam Patres, quàm Eccleſia ex vi verborum, & proprietate probant realem pręſentiã corporis Chriſti ſub ſpeciebus; ergo forma in ea determinatione facit ſenſum ſacramentalem, ex vi verborum, ſed hæc oratio abſolutè prolata ex vi verborũ ſignificat corpus loquentis non alterius; ergo niſi aliud addatur, ſignificat corpus ſacerdotis loquẽtis; probatur aſſumptũ ex eo enim, quod Chriſtus protulit illam formam, ex vi pronominis illius intelligunt omnes eum locutũ fuiſſe de corpore proprio aliàs nullum fundamentum eſſet colligendi ex vi verborum realẽ eius præſentiam. Confirmatur, quia intentio non facit, ut oratio ſignificet ex vi verborum, quòd non eſt nata ſignificare; ſed ex vi verborum non eſt nata ſignificare, niſi corpus proferentis tam abſolutè, & ſine limitatione, ergo &c. Maior patet, quia oratio eſt ſignificativa, non ex beneplacito proferentis, ſed ex inſtituto, quia eſt ſignum commune; ſed ex communi inſtituto non ſignificat, niſi corpus proferentis; ergo nõ ſufficit intentio proferentis, ut aliud ſignificet. Deniq; intentio eſt occulta, neq; cognoſcitur, niſi ex vi ſermonis: ergo nequit limitare orationem, ut faciat alium conceptum ex vi ſermonis in audiente, niſi aliàs ex communi inſtituto cõpetat: & hoc videtur ſignificare Eccleſia, dum docet de defectibus Miſſæ, quod in caſu, quo in eodem ſacrificio ſit nova hoſtia conſecranda, incipiatur rurſus conſecratio ab illis verbis Canonis, *Qui pridiè*, &c. quia nimirum ſine illis præcedentibus verbis ſacerdos non proferret verba conſecrationis in perſona Chriſti, ſed propria.

149 Reſp. negando aſſumptum, quia neq; Eccleſia, neq; Patres præſentiam corporis Chriſti probant ex vi, & proprietate verborum conſecrationis, ſed ex eorum inſtitutione à Chriſto facta, & intentione miniſtri faciendi, quod Chriſtus inſtituit, ad probationem dicendum ita contigiſſe in cõſecratione à Chriſto facta, quia ipſe fuit huius Sacram. inſtitutor, & auctor, & ideò ly *meum* referebatur ad corpus proprium, quia etiam in propria perſona loquebatur: nos autem verba illa proferimus in perſona Chriſti, & cum intentione faciendi, quod ipſe fecit, & nobis præcepit, ut faceremus in eius commemorationem; undè nõ eſt par ratio omnino de verbis conſecrationis, ut à Chriſto prolatis, & ut à nobis. Ad Conf. patet ex dictis n. 142. quod licet verba conſecrationis nudè, & abſolutè ſumpta abſtrahendo ab inſtitutione, & præcepto Chriſti ſignificent corpus proferentis, non autem Chriſti; tamen ſi accipiãtur, quatenus à Chriſto ad hunc effectum inſtituta fuerunt, corpus Chriſti inſtituentis, non autem ſacerdotis proferentis ſignificant, tunc enim ſacerdos in perſona Chriſti loquitur, non verò propria; & quamvis id à ſola voluntate, & intentione proferentis habere non poſſint per ſe ſumpta, poſſunt tamen hanc vim habere ab intẽtione miniſtri, ut ſubſtat inſtitutioni Chriſti, Ad ultimum conſtat, etiam ex dictis n. 144. non requiri alia verba formæ ad ſignificandam, & manifeſtandam Miniſtri intentionem, ut cõſtat in aliis ſacramentis; & quod ſit forma ſacramentalis, ſolùm facit, & infert quod debeat eſſe ſenſibilis, non autem exigit, ut ſenſibili modo declaretur eſſe prolata in perſona Chriſti; Neq; ad hunc finem Eccleſia præcepit, ut in caſu conſecrandæ novæ hoſtiæ in eodem ſacrificio, incipiatur rurſus conſecratio ab illis verbis. *Qui pridiè*, ſed ut ſervetur ritus, quo Eccleſia repræſentat Chriſti actionem, & ea quæ in ultima Cæna à Chriſto peracta ſunt in conſecratione huius ut conſtat ex dictis num. 142.

151 Tertiò arguit Brancatus ad idem probando intentionem miniſtri non ſufficere, ut dicatur verba conſecrationis proferre in perſona Chriſti, ſed neceſſaria eſſe verba præcedentia; nam verba ſignificare ex vi verborum aliud non eſt, niſi ſignificare ex natura propria, ſuppoſita inſtitutione primi imponentis abſque reſpectu aliquo ad intentionem ſignificandi, nam hoc verbum *panis* v.g. ex vi ſua panem ſignificat, & licet proferens hoc verbum *panis* intenderet ſignificare lignum, non ob id ex vi ſua lignum ſignificaret, ſed panem; ergo quacumq; intentione proferantur verba illa *Hoc eſt corpus meum* ex vi ſua aliud non ſignificãt, niſi corpus loquentis, quia ad hoc ſignificandum ſunt impoſita ab inſtituente. Confirmatur quia ſi intentio proferẽtis ſalvare poſſet ſignificationem verbis competentem ex propria natura, ſequeretur poſſe aliquem in forma baptiſmi his verbis uti *baptizo te* & intendere baptiſmũ alterius, & ſalvari ſignificatio ex vi verborum ob intentionem dicentis. Tandem verba ſignificant eo modo, quo à primis imponentibus ſunt deputata, & inſtituta, neq; ſi proferens verba illa intendat aliud ſignificare, talia verba fient proindè ſignificativa illius, quod intendit; ſed hæc verba *Hoc eſt corpus meum* ſunt impoſita ad ſignificandum corpus illius, qui loquitur; ergo nulla intentio proferentis poterit ea reddere non ſignificativa eo modo, ſed aliter.

151 Reſpondeo hæc, & ſimilia argumenta ſupponere, quod nos dicamus ſignificationem verborum conſecrationis pendere à ſola intẽtione miniſtri proferentis nudè, & abſolutè ſumpta, quod minime nos aſſerimus, ſed ſolum dicimus ſignificationem verborum conſecrationis pendere ab intentione Miniſtri, ut ſubſtat inſtitutioni Chriſti, verba enim conſecratoria ab intentione proferẽtis vim ſignificandi non accipiunt, quis amens hoc diceret? ſed ab inſtitutione Chriſti inſtituentis verba illa cum debita intentione à Sacerdote prolata talem vim ſignificativam habere: quare conceſſo antecedente negatur conſequentia, quamvis enim verba illa *Hoc eſt corpus meum* ex vi ſua corpus loquentis ſignificent, quando is loquitur in propria perſona; poſſunt tamen ſignificare etiã corpus alterius, quando proferens loquitur in aliena perſona; ut contingit in propoſito, ad hunc enim effectum à Chriſto inſtituta fuere, ut per illa cum debita intentione prolata ſuprà materiã debitã ſacerdos ſacramentum Euchariſtiæ conficeret, & quidem loquens in perſona ipſius: non autem propria. Ad Confirmationem patet ex eadem doctrina; non enim ſola voluntas loquentis, aut intentio proferentis tribuit verbis vim ſignificandi, ſed voluntas Chriſti inſtituentis verba illa cum intentione debita à miniſtro prolata talem vim ſignificativam habere, & ita inſtituit formam baptiſmi, ut is ſolùm diceretur baptizari, qui aqua ablueretur à miniſtro formam pronunciante cùm debita intentione faciẽdi, quod Chriſtus inſtituit. Ad ultimum patet per idem, quamvis enim verba illa ſint impoſita ad ſignificandum corpus loquentis, quando ea profert in propria perſona: poſſunt tamen ſignificare corpus alterius etiam, ſi proferens loquatur in perſona aliena, & cum debita intentione ab illo alio ordinata, & inſtituta, ut tali modo proferantur, & ad talem effectum ponendum, ut contingit in propoſito noſtro.

152 Quartò arguit Faber, verba conſecrationis non habent vim tranſubſtantiandi panem in corpus Chriſti, niſi quatenus ſunt verba Chriſti, & in ejus perſona prolata: at illa non ſunt verba in perſona Chriſti prolata, niſi præcedant aliqua verba, quæ faciant hanc determinationem, nam hæc determinatio debet fieri per aliquod ſignum ſenſibile, & nullum eſt magis ſenſibile, & ſignificativum, quam verba; ergo hæc determinatio debet fieri per verba præcedentia. Confirmatur, quia certũ eſt ſacerdotem illa verba proferre materialiter, & recitativè, licet illa quoque dicat formaliter, & ſignificativè; ſed illa verba abſolutè ſumpta abſque præcedẽtibus ex propria natura, & vi non habent, ut recitativè dicantur à Sacerdote, ſed ut propria verba miniſtri, & ſignificativè, ut patet in quacumque ſimili locutione, ut ſi dico, hæc eſt doctrina mea, hæc eſt caro mea ſemper iſtę locutiones ſupponunt pro perſona loquentis & dicuntur ſignificativè, non materialiter, & recitativè. Tandem ſacramentum Euchariſtiæ eſt ſimul ſacramentum, & ſacrificium; at de ratione ſacrificii eſt, ut ſit oblatio extrema facta ſoli Deo, in qua aliqua res ſenſibilis conſecratur; ergo in hoc ſacramẽto debet eſſe aliqua oblatio, nec autem non poteſt fieri, niſi verbis, & ſignis præcedentibus conſecrationem rei ſenſibilis; ergo in hoc ſacramento debent præcedere verba aliqua ipſam conſecrationem.

Reſpondetur, negando minorem, nam ſufficienter determinantur illa verba ad perſonam Chriſti quatenus proferũtur ſupra materiam debitam à Chriſto inſtitutam, & cum intentione illa proferendi, ſicut Chriſtus pręcepit, & protulit, & efficiendi, quod ipſe effecit, & intẽtio miniſtri ſatis eſt, ut proferatur oratio illa in perſona Chriſti formaliter, & falſum eſt determinationem iſtam debere fieri per aliquod ſignum ſenſibile præcedens ſenſibilitatẽ formæ, ut ſatis conſtat ex dictis. Ad Confirmationem dico, conceſſo enim toto argumento nihil contrà nos concludi, non enim conficit ſacerdos ſacramentũ, quatenus verba conſecrationis profert materialiter, & recitativè, ſed quatenus illa profere formaliter & ſignificativè, hoc eſt, cum intentione proferendi illa, ut ſunt à Chriſto inſtituta, & efficiendi, quod ipſe effecit; undè ſi illa ſolùm formaliter, & ſignificativè proferret, adhuc ſacramentũ conficeret. Ad ultimum, negatur minor ſubillata, oblationem nempè, quę de ratione ſacrificii altaris ponitur, fieri debere ſignis, & verbis conſecrationem pręcedentibus, quia ſufficiens eſt oblatio ipſa implicitè facta per poſitionem victimæ in altari, præter quam quod licet de facto in Euchariſtia ex inſtitutione divina ſacramentum, & miſſæ ſacrificium ſint ſimul conjuncta: unum tamen non eſt de ratione intrinſeca alterius, & abſolutè ſeparari poſſunt.

153 Poſtremò arguunt, quia ſine præcedentibus verbis forma conſecrationis non haberet perfectum ſenſum; ergo illa quoque ſunt neceſſaria; antecedens probatur, quia particula *enim* interpoſita continuat totam formam cum præcedentibus verbis, & facit propoſitionem cauſalem, & hypoteticam, atque ideò verũ ſenſum non habet, niſi etiam verba præcedentia proferantur. Conſequentia etiam probatur, quia ſi forma conſecrationis debet cauſare, quod ſignificat, opus eſt, ut ſenſum perfectum habeat.

Reſpondeo, particulam *enim* non eſſe de eſſentia forma conſecrationis, ut dictum eſt ab initio quæſtionis, ac proindè abſque illa poſſet validè conſecratio fieri, ut patet ex Liturgia D. Iacobi, in qua hęc particula omittitur: & quãvis in noſtra ponatur, id tãtùm fit ob continuationem ſequentium verborũ cum præcedentibus, undè ad argumentũ dicendũ eſt, quod licet ſine præcedẽtibus verbis forma conſecrationis non haberet perfectũ ſenſum, ut propoſitio hypotetica, benè tamen ut cathegorica: illã enim propoſitio

cauſalis his duabus ſimplicibus ęquivalet *Hoc eſt corpus meum, & ideò debitis illud comedere.* ex quo patet ſenſum primæ propoſitionis ſimplicis perfectũ eſſe, quantùm ſufficit, ut cauſare poſſit, quod ſignificat; Concludendum eſt itaque ad validam panis conſecrationem neceſſaria eſſe, & ſufficere illa quatuor verba *Hoc eſt corpus meum*, quod probat perpetuus Eccleſiæ uſus, quæ ſemper eam formam adhibuit, & quia ea quatuor verba neceſſaria ſunt, & ſufficiũt ad concurrendam panis ſubſtantiam in corpus Chriſti, & ad ſignificandum corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus; verba autem antecedentia Canonis *Qui pridiè, quam pateretur &c.* licet ad confectionem hujus ſacramenti non concurrant, adhuc tamen ſine peccato mortali omitti nequeunt, quia pertinent ad ritum, quo Eccleſia repræſentat actionem, & ea, quæ in ultima Cęna à Chriſto peracta ſunt in hujus ſacramenti inſtitutione.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quænam ſit forma conſecrationis Calicis, ſeù ſanguinis.

154 GRavior eſt controverſia de forma calicis, an omnia verba in ea contenta ſint de eſſentia conſecrationis, quia plura adhibentur in conſecratione calicis, quàm in conſecratione panis: & quidem certum eſt illa verba, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, vel iis æquivalentia, *Hic eſt ſanguis meus*, nam illa verba intelligũtur per figuram methonimiam pro re cõtenta in calice, eſſe ſimpliciter de eſſentia conſecrationis calicis, itaut illis omiſſis, eſto alia proferantur, non erit verè ſacramentum, & hoc de fide tenendum eſt, quia illis verbis fit, & ſignificatur vinum eſſe converſum in sãguinem Chriſti, ſicut his verbis, *Hoc eſt corpus meum*, fit, & ſignificatur panem eſſe converſum in corpus Domini, Quarè ſolum dubium eſt de aliis verbis hæc verbis antecedentibus, ſcilicet, *Simili modo* &c. ac etiam ſubſequentibus, ſcilicet, *novi, & æterni teſtamenti* &c. & quidem de antecedentibus eodem modo diſcurrendũ eſt, ut de pręcedentibus formam conſecrationis panis, quod nimirum ſunt neceſſaria tantùm neceſſitate præcepti, non verò ſacramenti, ut conſtat ex dictis quæſt. præced. in ſimili de conſecratione panis; de ſubſequentibus vero tres præcipuæ ſunt ſententiæ.

155 Prima ſententia aſſerit omnia verba in forma calicis, qua utimur, contenta eſſe in eſſentia conſecrationis, pro qua citatur D. Thomas *5. p. quæſt. 78. art. 3. & 4. diſt. 8. quaſt. 2. art. 2.* ubi aſſerit omnia illa verba eſſe de ſubſtantia hujus conſecrationis, & videtur intelligere eſſe ita eſſentialia, & neceſſaria, ut illis, vel eorum aliquo deficientibus non perficeretur ſacramentum, & ita defendunt antiquiores omnes Thomiſtæ Capreolus, Hærueus, D. Antoninus, Silveſter Armilla, & alii, licet quidam Recentiores Thomiſtæ alio modo conentur Sanctum Thomam interpretari, Secũda verò opinio aſſerit verba illa, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, eſſe eſſentialia, illa verò alia intermedia *novi, & ęterni teſtamenti*, non eſſe eſſentialia, ſed proferri ad magis explicandum myſterium, ita Cornejo *tr. 4. qu. 78. diſp. unic. dub. 1.* Amicus *diſp. 24. ſec. 1.* Paſqualigus *loc. cit.* & quidam alii Recentiores. Tertia tandem ſententia, quę eſt communis, docet ſola illa verba *Hic eſt calix ſanguinis mei*, vel æquivalentia, ut *Hic ſanguis meus* eſse de eſſentia conſecrationis calicis, reliqua verò eſſe tantùm neceſsaria neceſſitate præcepti, ſaltem in Eccleſia Latina, quę fuit sẽtentia Alenſis, D. Bonaventuræ, Aureoli, Majoris, Marſilii, & aliorum antiquiorum, quam paſſim tuentur Recentiores, Suarez, Vaſq. Coninchius, Card. de Lugo, Meracius, Averſa, Morandus, Granadus, Hurtadus. Caſpenſis, Becanus, Baldius, Orlandus, & alii: & hæc etiam fuit ſententia Scoti 4. *diſtin. 8. quaſt. 2. §. de iſto ſecundo articulo*, ubi licet dicat tutius eſse omnia verba Canonis à principio, uſque ad finem diſtinctè legere cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, & hoc ad ſcrupulos tollẽdos; tamen ut ibidem advertit Hiqueus, expreſsè ſignificat, verba quæ cõſequuntur *ſanguinis mei*, in forma calicis non eſse eſsentialia, dùm inquit temerarium eſse aſserere verba illa conſequentia eſse de eſsentia formę calicis ſine ſufficienti auctoritate, ſupponens priora eſse omninò eſsentialia, quam proindè etiam tuentur Scotiſtæ omnes tam Veteres, quàm Recentiores, Baſsolius, Aretinus, Hiribarnes, Niqueus, Gavatius, Poncius, Brancatus, & alii & hæc re vera fuit ſententia Doctoris *loc. cit.* poſtquam enim *art. 2.* impugnavit opinionem D. Thomę aſserentis omnia verba eſse eſsentialia, deindè ſub lit. D. *§. de iſto ſecundo articulo* ait, Dico breviter, quod non eſt nobis traditum omninò certitudinaliter, an ad formam conſecrationis ſanguinis pertineat aliqua verba poſt illud *ſanguinis mei* ideò periculoſum hoc aſſerere, de quo nulla auctoritas habetur; hæc Scot. quibus verbis expreſſe docet verba illa, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, eſſe eſſentialia, cætera vero, quę ſequuntur non eſſe eſſentialia, & periculoſum eſſe id aſſerere ſine ſufficiẽti auctoritate; Undè valdè falluntur Recentiores dicentes Scotum dubiũ fuiſſe de forma eſſentiali calicis, & dixiſſe, periculoſum eſſe in hac re aliquid certi aſſerere; non enim hoc abſolutè dixit, ſed tantùm de verbis ſequẽtibus ad illa, *hic eſt calix ſanguinis mei*, quę abſque ullo dubio ſupponit eſſe eſſentialia formæ, de reliquis autem docet ſequendam eſſe Eccleſię auctoritatem, cujus eſt diſcernere, an verba illa ſint eſſentialia, vel accidentalia, undè ſatis inadvertenter dixit Brancatus hic trepidare Doct. in aſſignandis verbis, quę ſint de eſſentia conſecrationis calicis.

ARTICULUS PRIMUS.

Deciditur quæſtio.

156 DIcendum eſt cum tertia ſententia, quę eſt communis, formam conſecrationis ſanguinis in illis verbis eſſentialiter conſiſtere, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, vel in æquivalentibus, *Hic eſt ſanguis* meus, verba verò ſequentia non eſſe de eius eſſentia. Ita Doct. *loc. cit.* & probatur paſſim ab Auctoribus tertiæ ſententiæ, quia credibile non eſt Evangeliſtas, & Paulum 1. Corinth. 11. ubi de inſtitutione huius ſacramenti loquitur, formam debitam omiſiſſe ad valorem huius ſacramenti, imò putandum eſt ſingulos poſuiſſe integrum ritum eſſentialem huius ſacramenti; illa verò priora verba, quæ diximus indubitanter eſſe de eſſentia conſecrationis ponuntur ab omnibus, alia vero ſequentia, vel à nullo ponuntur vel ſaltem non ab omnibus, ergo &c.

Confir. quia ita conſiſtit perfectus ſenſus ſubſtantialis conſecrationis calicis in his verbis, *Hic eſt ſanguis meus*, ſicut in illis, *Hoc eſt corpus meum*, in conſecratione corporis; ſed hæc verba ſolùm ſunt neceſſaria, & conſtituunt eſſentialiter formam conſecrationis panis; ergo & illa ſola conſecrationem calicis. Denique; ſpecialiter contrà tertiam opinionem probatur non eſſe neceſſaria illa verba *qui pro vobis effundetur*, quia in forma conſecrationis panis ea verba, *quod pro vobis tradetur*, non ſunt de eſſentia, ſed ea duntaxat, *Hoc eſt corpus meum*, ergo neq; in forma conſecrationis calicis neceſſaria erunt neceſſitate eſſentiali illa verba, *qui pro vobis effundetur*, conſequentia patet ex paritate rationis, quia in utriuſque ſpeciei conſecratione ex modo dicendi Chriſtus æquè verba illa uſurpavit; Tùm quia intantum verba illa in conſecratione panis non ſunt eſſentialia, quamvis addantur à Græcis, niſi quia merè recitativè è Sacerdote proferuntur, nam verè corpus Chriſti nõ amplius tradetur, ſed jam traditum eſt, verba autem conſecrationis eſſentialia à Sacerdote ſignificativè præſertim proferri debent ità, ſcilicet, ut verificentur de præſenti, & non tantùm recitativè referendo, quod dictum, vel factum fuerat, ut poſteà dicemus; ſed pars eſt ratio in conſecratione calicis de illis verbis, *qui pro vobis effundetur*, quod non niſi recitativè dicuntur, nam verè ſanguis Chriſti non amplius effundetur, cùm jam ſit effuſus; Neq; hic recurrere juvat ad miſticos ſenſus, itaut verba illa intelligantur de effuſione ſanguinis ſacramentali, & miſtica, quàm dicunt nunc fieri in Miſſę ſacrificio; non juvat, inquã, quia ex ipſo evangelico contentu conſtat verba illa fuiſſe à Chriſto prolata de reali ſanguinis effuſione, quam ipſe in noctæ cęnæ futuram eſſe predixit, ſequenti paſſionis die, & hæc eſt ſanguinis effuſio, cuius mentio fit in calicis cõſecratione, igitur neq; eiuſmodi ultima verba ſunt de eſſentia conſecrationis huius.

157 Deindè probatur ratione à priori; illa ſola verba ſunt de eſſentia conſecrationis calicis, quæ ſufficienter ſignificant præſentiam ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus vini, ſed ſola illa verba, *hic eſt calix ſanguinis mei*, vel *hic eſt ſanguis meus*, id ſufficienter ſignificant, ergo &c. Maior patet, quia illa verba ſufficiunt ad eſſentiam formæ, quæ ſignificant ea, quę ſunt de eſſentia ſacramenti, verba enim ſacramentalia id efficiunt, quod ſignificant; minor probatur, quia illa verba ſignificant id, quod ſub ſpeciebus vini continetur, eſſe Chriſti ſanguinem, & hoc in ultimo inſtanti ſuæ prolationis antecedenter ad prolationem ſequentium; ergo cùm tota ratio ſacramenti in tali ſignificatione conſiſtat, verba illa ad conſecrationem ſufficientia erunt, Confir. quia prolatis illis tantùm verbis neceſſariò cauſant præſentiam ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus cùm neceſſariò ſint vera, & ex inſtitutione divina efficiant, quod ſignificant; ergo ipſa ſola ſunt de eſſentia conſecrationis calicis, quia antecedenter ad ſequentia verba continent veritatem, & veriſſima ſunt. Tandem, quia non ſunt minoris efficaciæ verba, *hic eſt ſanguis meus* in conſecratione calicis, quàm iſta, *hoc eſt corpus meum* in conſecratione panis, ergo ſicut hæc ſufficiunt ad converſionem panis in corpus Chriſto, nec ſunt de eſſentia alia ſequentia verba *quod pro vobis* tradetur, ita & illa ad converſionem vini in ſanguinem, nec erunt de eſſentia ſequentia verba, *qui pro vobis effundetur*; Varias ſolutiones ad has rationes adducunt Auctores ſecundæ ſententiæ, quæ ſingillatim hic ſunt referẽdæ, & reiiciẽdę.

158 Primò reſpondet Corneius *loc. cit.* illis verbis, *hic eſt ſanguis meus*, non ſignificari perfectè, & completè effectum ſacramentalem, quia ad id non ſatis eſt, quod ſignificetur converſio vini in ſanguinem abſolutè, ſed ultrà hoc requiri, quod ſignificetur converſio in ſanguinem, ut effuſum in remiſſionem peccatorum, quod ſignificari non poteſt ſine verbis ſequentibus.

Sed contrà; quia hinc ſequeretur primò nõ tantùm eſſe neceſsaria verba illa ad conſecrationẽ calicis, *qui pro vobis effundetur*, ſed etiã illa ultima *in remiſſionem peccatorum*, quod negat tamẽ Amicus, quamvis ſit eiuſdem opinionis. Deinde, quia ſicut in cõſecratione corporis non ſunt eſſentialiter requiſita illa verba, *quod pro vobis*

vobis tradatur, quibus ſuam paſſionẽ expreſſit; ità neque in conſecratione sãguinis erũt neceſſaria illa, *qui pro vobis effundetur*; probatur cõſequentia ex paritate rationis, quia non minus ad ſacrificiũ incruentum Miſſæ concurrit corpus, quàm ſanguis Chriſti; & cùm hoc ſacramentũ quoad utrũque ſit memoriale paſſionis Domini juxtà illud 1. Corr. 11. *Quotieſcunque munducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*, non magis debuit fieri expreſſa mentio paſſionis forma cõſecrationis ſanguinis, quàm in forma corporis; ſignũ evidens ad effectũ ſacramẽtalẽ perfectè, & integrè ſignificandũ non requiri, quod in forma, conſecrationis explicetur hoc myſterium, ut repræſentans ſanguinẽ Chriſti in remiſſionẽ peccatorum, ſed ſufficere, quod explicetur præſentia ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus vini, quę completè, & integrè ſignificatur per illa verba, *hic eſt ſanguis meus*, nec alia ſequentia verba eſſentialiter ad valorem illius requiruntur, ſicut nec in conſecratione panis requiruntur, illa *quid pro vobis tradetur*.

159 Secundò reſpondet Amicus *loc. cit.* negando paritatẽ rationis, & ratio diſcriminis eſt, quia corpus ad ſacrificiũ concurrit inchoativè tantùm, ſanguis verò completivè, nam ut ex Paulo ad Hebręos 9. colligitur, ſacrificium in ſanguinis effuſione completur, & conſummatur, igitur potius expreſſiõ ſacrificio fieri debuit in ſanguine, quàm in ſanguine, quàm in corpore, quia corpus tantùm inchoat, ſanguis vero compleat, & perficit ſacrificium; ſic etiam inquit Cornejus, quod repræſentatio paſſionis Domini, quæ ſit in hoc ſacramento, perfectè, & completè conſiſtit in effuſione ſanguinis, quia ſanguinis effuſio eſt paſſionis conſummatio, & ideò in conſecratione calicis poſita ſunt hæc verba à Chriſto potius, quam in conſecratione corpori.

Sed contrà, quia quamvis verba illa addita ſint ad declarandum fructum ſanguinis Chriſti pro nobis effuſi, non tamen ad eſſentiã conſecrationis ſunt requiſita; quia minus corpus ſeorsũ conſecratium immolationem Chriſti in Cruce ſignificat, & ſeparationẽ à ſanguine, quàm sãguis ipſe ſeorſum cõſecratus; ergo ſicut hoc nõ obſtante non ſunt de eſſentia conſecrationis corporis verba illa, *quod pro vobis tradetur*, ita neque de eſſentia cõſecrationis calicis erũt illa, *qui pro vobis effundetur*; Sufficit ergo, ut in hoc ſacramẽto ratio ſacrificii, & repræſentatio paſſionis Domini exprimatur per ſacramentalem ſeparationem ſanguinis à corpore, quæ maior, & expreſſior eſt, quàm per verba; Eo vel maximè, quia ſacrificium non conſtante ex verbis, ſed ex rebus, atque ideò ad illud exprimendum non ſunt neceſſaria verba, ſed res ſufficiunt; cùm igitur ſanguinis conſecratia ſacramentaliter à corpore ſeparati naturam ſacrificii cruenti in Cruce peracti ſufficienter repræſentet, non erunt alia neceſſaria verba ad illud exprimendum.

160 Tertiõ reſpondet turſus Amicus negandu aſſumptum, nam in reliquis ſacramentis non ſufficit, ut effectus ſacramenti exprimatur ſolis rebus, ſed requiritur, ut etiam exprimatur verbis ſignificantibus idipſum, quod res repræſentant; non enim ſat eſt ad effectum Baptiſmi, Confirmationis, Confeſſionis, & ordinis exprimendum ſola aquæ aſperſio, frontis, injunctio, pęnitentis confeſſio, & Sacerdotis ſuper abſolvendum manuum impoſitio, & ſic de aliis; ſed requiritur propria forma in unoquoque ſacramento id ipſum verbis ſignificans, quod res ipſæ exprimunt; ergo nec ſatis erit ad ſacrificium novæ legis exprimendum ſola rerum expreſſio, ſed requitur præterea ſignificatio verbum, cùm non minus ſignificatio ſacrificii, quam ſacramenti in novæ lege inſtituta ſit ad inſtituta ſit ad inſtituendos Chriſti fideles.

Sed contrà, quia neque in hoc ſacramento talis expreſſio, & repræſentatio ſacrificii cruenti paſſionis Domini fit ſolis rebus, ſed etiam verbis, quæ ſunt ipſa forma conſecrationis corporis, & ſanguinis nempe, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, iſtis enim verbis ſignificatur ſeparatio ſanguinis à corpore; etenim in cõſecratione panis ex vi verborum ſolùm corpus Chriſti ponitur ſub ſpeciebus panis, & ad ipſum præcisè, & ſine ſanguine conſideratũ illa tranſubſtantiatio terminatur, & è cõtrà in conſecratione ſanguinis ex vi verborum ſolus ſanguis continetur ſub ſpeciebus vini, ad quem præcisè, & ſine corpore conſideratum terminatur illa tranſubſtantiatio; ſanguis autem præcisè acceptus denotat ſui effuſionem, atque adeò redemptionem: ergo non ſolis rebus, ſed etiam verbis fit talis expreſſio ſacrifici crucenti, & repræſentaaio paſſionis Chriſti, hæc autem ſunt verba ipſa formæ, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, eo enim ipſo, quod his verbis ſignificatur converſio vini in ſanguinem denotatur effuſio, ac proindè redemptio; verba verò ſequentia non ſunt addita, ut eſſentialia, ſed ad declarandam magis explicitè paſſionem, & redemptionem, quæ in illis prioribus verbis non ita explicitè ſignificabatur.

161 Quartò tandem nonnulli Thomiſtę videntes oppoſitam sẽtentiam difficulter poſſe in toto rigore defendi, reſpondet gratis concedẽdo verba eſſentialia formæ calicis eſſe ſola illa, *Hic eſt calix ſanguinis mei*; reliqua tamen dicũt eſſe adhuc de ſubſtãtia, & integritate formæ, quia ex intentione Eccl. omnia concurrũt ad conſecrationem; atque ideò perfici quidem poſſe ſacramenti ſine illis, tamen quando dicuntur, verè concurrere; itaut ſi Sacerdos habeat intentionem per illa omnia conſecrandi, verè non perfici ſacramentum, niſi in fine omnium; nec mirum eſſe debet inquiũt quod aliquid ſit ſubſtantia, & integritate rei, non autem de eſſentia, nam manus, & digitus ſunt de ſubſtantia, & integritate hominis, non verò de eſſentia: ita Soto *in 4. diſt. 11. q. 1. ar.* quem ſecuti ſunt alii poſteriores Th. quorum fundamentum eſt, quia multa verba in formis ſacramentorum apponi ſolent, quæ non ſunt de eſſentia formæ, tamen quando dicuntur ſimul cum forma, evadunt partes ejus, & ideò ſunt ſacramentaliter ſignificativa, ideſt, cauſant practicè effectum; ut ſi in forma Pęnitentiæ apponatur *Ego* à principio, & in fine addatur *à peccatis tuis*, vel etiam *in nomine Patris, & Filii, & Sp. S.* iſta verba addita, ſive in principio, ſive in fine, concurrunt partialiter ad effectum cauſatum, & ſunt partialia motiva Dei ad cauſandum phyſicè, ideòque ad formam ſpectant, quia quæ ſunt ſignificativa, & cauſativa, ſunt forma: ergo idem dici poteſt de forma conſecrationis calicis, quod licet non omnia ejus verba ſint formæ partes eſſentiales, quando tamen per modum unius formæ proferuntur, evadunt ſacramentaliter ſignificativa, & converſiva vini ſanguinem.

162 Sed contrà, quia prorſus ineptè in formis ſacramentorum diſtinguitur id, quod eſt de ſubſtantia ab eo, quod eſt de eſſentia, quidquid enim neceſſarium eſt ad ſacramentum perficiendum, eo ipſo non ſolùm eſt de ſubſtantia formę ſacramẽtalis, ſed etiam de eſſentia; & è contrà quicquid neceſſarium non eſt ad ſacramẽtum perficiendum, non ſolùm non eſt de eſſentia, ſed nec etiam de ſubſtantia, quia eſſentia, & ſubſtantia in formis ſacramentorum, quæ non habent eſſe, niſi ex Chriſti inſtitutione, coincidunt in unum; Et licet in toto phyſico ſubſtantiali partes eſſentiales; & integrales diſtingui ſoleant, ut dicebatur de manu, & digito in homine, tamẽ in toto merè integrali, & quantitativo, ſicut eſt oratio, & forma cõſecrationis; partes integrales, & eſſentiales coincidunt; unde ſicut ſi ab una dictione auferatur pars aliqua ſoni, & prolationis, aufertur ab ea pars aliqua, quę ſimul eſt integralis, & eſſentialis, ita ſi addatur; & idem dicendum de dictione reſpectu orationis; aut igitur prolatis primis verbis in conſecratione calicis fit cõverſio vini in ſanguinem, vel non, ſi primum: ergo quæ ſubſequuntur non ſunt neceſſaria; ſi ſecundum: ergo ſunt neceſſaria non minus, quàm priora, & eſſentialia. Et quidem omninò vanum eſt dicere, ideò verba illa ſubſequentia dici de ſubſtantia, non autem de eſſentia formæ calicis, quia in arbitrio conſecrantis eſt, vel per illa, vel ſine illis converſionem efficere; Quoniam ut verba ſacramentalia efficiant, quod ſignificant, non pendet ex intentione miniſtri, vel Eccleſiæ, ſed Chriſti inſtituentis, nam forma ſacramentorum ab alio nequit inſtitui, & aſſumi, niſi à Deo: ergo nequit miniſter ſua intentione facere formam, quæ non eſt forma: ſi ergo Chriſtus inſtituit, ut per prima tantum verba ſacramentum perficiatur, non eſt in poteſtate, vel arbitrio miniſtri aut Eccleſiæ uſque ad extrema verba converſionem ſuſpendere, & è contrà ſi Chriſtus inſtituit, ut per omnia illa conſecratio perficiatur, etiamſi miniſter intendat per ſola prima verba conſecrare, nihil efficiet. Unde tandem falſum eſt, quod dicebatur, aliqua verba in formis ſacramentorum apponi, quæ non ſunt partes formæ, & tamen quando dicuntur ſimul cum forma, evadere partes ejus; Regula enim generalis eſt, quod ſicut illa omnia, & ſola verba sũt effectiva, ſive ſignificativa ſacramentaliter, quæ à Chriſto ſunt ad hoc aſſumpta: ita omnia illa, & ſola poſita in uſu habent hunc effectum: & ideò quæcumque à miniſtro adduntur, ſive in principio eorum, quæ ſunt aſſumpta, ſive in medio, ſive in fine, carent hac formalitate ſignificationis ſacramentalis, non enim eorum intuitu cauſat Deus ſacramentorum effectus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Objectiones ſolutæ.

163 IN oppoſitum arguunt primò auctores primæ opinionis probantes omnia illa verba, quæ profert Eccleſia Latini pro cõſecrationis calicis eſſe de eſſentia formę: nã omnia illa verba *nova, & æterni teſtamenti* complent cũ præcedẽtibus unã propoſitionem, cũ ſe teneant ex parte illius prędicati *ſanguinis mei*, jus ſunt determinationes; ergo omnia pertinent ad integrandum unum ſenſum, atque adeò ad integrandam unam formã conſecrationis calicis, cùm enim ſine illis ſenſus præcedentium verborum *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſit incompletus, & ſuſpenſus quouſque alia verba proferantur, ſine illis conſecratio non fieret.

Confir. quia omnia illa verba eodem ritu proferuntur à Sacerdote calicem præ manibus habente, & eiſdem characteribus majuſculis in Miſſali notantur, nec populo proponitur adorandus, donec omnia prolata ſint, & completa, ſignum ergo eſt omnia illa verba eſſe de eſſentia formæ conſecrationis. Denique quia in Concilio Colonienſi, & in Catechiſmo Romano dicitur, omnia illa verba ad formam conſecrationis ſanguinis pertinerę, & idem habetur in Concilio Florentino.

164 Reſp. negando omnia verba, quæ determinant prædicatum, eſſe de eſſentia formæ, alioqui in abſolutione ſacramentali verba illa, *in nomine Patris*, &c. quæ determinant prędicatum formę ſacramenti Pœnitentiæ, eſſent de eſſentia; ſola igitur verba, quæ